ARNONIS REICHERSPERGENSIS

APOLOGETICUS

CONTRA FOLMARUM.

AD FIDEM UNICI QUI EXSTAT
CODICIS MANU SCRIPTI PRIMUM EDIDIT

LIC. CONSTANS WEICHERT
PASTOR PAROCHIAE COTTA.

LIPSIAE
GUSTAV WOLF
MDCCCLXXXVIII.

OFFICINA F. J. EBERLEINI PIRNAE.

Praefatio.

Injuria temporis haud raro fit, ut libri, qui ab oblivione vindicentur digni, intereant. Quod ne *Apologetico* Arnonis, decani Reicherspergensis († a 1175), accideret, hac prima ejus editione praecavere voluimus. Theologi quidem Romani saeculi XVII., quibus auctor hujus libri *propius ad Eutychianismum et ad Lutheristarum ubiquitatem accedere* videretur, eum veriti vel potius vetiti sunt evulgare†). Postquam vero Bachius††) accurate demonstravit, in *Apologetico* nihil doceri, quod doctrinae sanctae ecclesiae catholicae contrarium esset, nobis placuit, ut in usum theologiae dogmaticae illud Arnonis opus laudatum†††) ad verbum describeremus ac promulgaremus††††). Cui operae impedimento fuit, quod, cum unum tantummodo codicis manu scripti exemplar, in bibliotheca regia Monacensi asservatum,†††††) adhuc exstet, contextus in contentionis judicium vocari non poterat. Periculum tamen quod inde facile nascitur conjiciendi nobis videmur feliciter evitasse ita, ut, quae librarii incuriae vel ignorantiae tribuenta essent, signo †, addito nonnunquam signo interrogativo, ea vero, quae ipsi librario corrupta vel suspecta vel emendanda viderentur, signo * infra textum integrum annotaremus. Itaque aliis viris doctis atque expertis conjiciendi operam relinquentes interpunctionem potissimum animadvertimus et ad usum nostrorum temporum accomodavimus. Atque dicta patrum graecorum et latinorum a scriptore allata, ut quae compluribus locis a textu recepto differant, ubi reperiantur, haud inutile duximus, ubicunque fieri poterat, addere, cum ea, quae ad ipsam rem, id est ad causam et argumentum hujus operis pertineant, in Bachi historia aevi medii dogmatica (l. c.) legi possint.

Scripsi Cottae Non. April. MDCCCLXXXVIII.

C. Weichert.

---

†) In prima codicis pagina, fortasse manu Stevarti, scriptum legimus: *NB. Liber ubiquisticus, non edendus, ne hostibus arma demus.*

††) Dogmengesch. des Mittelalters, tom. I, p. 401 ss. II. p. 587 ss.

†††) Kurtz, Kirchengesch. Leipzig 1880, § 102; 6 et 7: *eine Schrift, die an Tiefe des Geistes, Innigkeit der Mystik, Kraft und Fülle der Speculation kaum den Schriften seines Bruders (Gerhoch's) nachsteht.*

††††) Adeo menda recepimus. †††††) München, cod. lat. 1439.

Argumentum hujus operis

ad notas a librario in margine positas†).

Quae et qualis haeresis Folmari (p. 3). De adulteriis naturae. Supernaturalia in omnia naturalia potentia esse (p. 6). De visu, auditu aliisque sensibus Dei. Experientia et fructus divini attactus (p. 7). Alios a timore, alios ex amore divino concipere. Naturale Deo, facturam suam diligere (p. 8). Accidentalem esse angelis et hominibus inhabitationem Dei, Christo vero naturalem et substantialem. Comparatio solis ad Christum (p. 10). Soli Deo possibile, manere quod est et insuper fieri hominem. Error cujusdam magistri (p. 11). Item alius error. Tropos abnegat. Item alius error de adoratione (p. 12). Item alii errores. Quod in conventu ecclesiastico dictum et contradictum est (p. 13). Calumnia Folmari. Deductio ad probandam naturalem filiationem ad Deum hominis assumpti in Deum (p. 14). Proficiendi possibilitatem in rebus in earum naturam computari. Unde natura dicatur. Proficiendi facultatem in rebus creatam a Deo esse (p. 15). Proficiendi et assumendi facultatem in Deum naturalem esse homini (p. 16). Auctoritas scripturarum (p. 17). De naturali via adventus Dei ad homines (p. 18). De electione Mariae virginis et nuntio facto ad eam. Totam trinitatem incarnationem Verbi operatam (p. 19). Distincta trinitatis opera, sed indivisa, qualibet parte quod suum erat operante. Depulsio calumniae Folmari (p. 20). De similitudine rubi ardentis. Adaptio miraculi ad novitatem incarnationis Christi (p. 21). Ex naturalibus causis naturales effectus ad naturalem filiationem hominis ad Deum comprobandam. Conceptio unde dicatur (p. 22). Oppositio de eo, quod *semel loquitur Deus*. Aeterna nativitas potentiae temporalis, misericordiae (p. 23). Testimonium ex propheta Micha et ex evangelio. Quid sit, Christum de caelo secundum carnem venisse (p. 24). Christi conceptio quantum ad Deum supernaturalis, quantum ad virgineae carnis substantiam naturalis. Phantasmata humanarum cogitationum longe abesse. Virginale sacramentum non pulsandum; Deo secretum suum relinquendum. Opinio de anima, et quod nostrae conceptionis rationem nescimus, quanto minus Dei scire possumus (p. 25). Quaedam nos scire nostrorum oportere. Similiter et quaedam Dei nos nescire non licet; quaedam vero sapientium requisitioni reposita. Christum utraque substantia filium Dei, scilicet divina et humana. Christus non aliud nec alius quam filius Dei (p. 26). Naturalem in Christo naturarum unionem esse etiam personalem. De habitu (p. 27). Tropis in naturalibus utendum. Determinationes non bene accommodatae (p. 31). Propria carnis ad filium Dei referuntur (p. 32). Differentia passionum nostrarum et Christi. Deus

---

†) Paginae ad codicem manuscriptum numeratae sunt.

omnipotenter passus, non et homo infirmiter miracula operatus (p. 33). Defensio Hilarii. Quid sit: *Habitu inventus ut homo.* Non omni necessitati humanae etiam praeter peccatum obnoxium fuisse Dominum Jesum. Item alia ratio de habitu. Quare nunc se nunc suam carnem seu corpus unctum vel sepeliendum dicat (p. 34). Conversa de habitu, quod et homo Christus Deum habeat quodque ipse Deus sit. Argumentum de divinitate hominis, quod in contradictione fuit. Quid sit dicere: *Quem pater significavit* (p. 35). Christus nunc agnus Dei dicitur nunc agnus Deus praedicatur, ut habens Deum vel habitus a Deo ipse etiam Deus agnoscatur (p. 36). Qualiter Augustinus habitum humanitatis in Christo adstruat. Nullam similitudinem sufficere ad exprimendam unionem carnis et Verbi (p. 38). Non solum habitum, sed et naturam praedicari, cum vel Deus homo vel homo Deus dicitur. Cui maxime similis sit praedicatio illa: *Deus est homo et homo est Deus* (p. 40). Quales differentiae sint ad invicem divinitas et humanitas. Christo soli ex omnibus hominibus divinitatem inesse per diffinitionis formam. De ss. scripturarum serie similitudinis adductae confirmatio (p. 41). Primorum sex dierum operatio. Sex aetatum mundi cum primorum dierum operibus concordia (p. 42). Similitudo et superexcellentia novi Adam ad veterem (p. 43). Totum Deus, totum homo. Quale totum Christus dicatur (p. 45). Meliorem esse causam hominis apud Deum quam angeli. Angelo personaliter uniri, divinitatis non esse. Quae differentia sit, Deum habere ut vestiri hominem et esse hominem (p. 46). Quae causa sit, Deum angelum personaliter fieri non posse. Contra naturam agere auctori naturae non convenit. Quod et angelis collatum sit incarnatione Verbi. Sicut nobis non adimit sensualitas, in gloria et beatitudine fieri angelorum, ita assumpta humanitas filio Dei non adimit, in gloria omnimoda esse Dei patris (p. 47). Mendacium Folmari. De resurrectione et qualitate corporum resurgentium (p. 48). Caelestium corporum vel spiritualium ad terrenae comparationem non esse (p. 49). De potentia et velocitate spiritualium corporum. Potentiam solidi penetrandi et velocitatem nondum beatitudinem esse, cum et hoc malis commune sit. Quid sit beatitudo et videre Deum *sicut est* (p. 50). Similitudo in materialibus videndi Deum *sicut est.* De conservatione naturae nostrae in illa resurrectionis potentia per similitudines probata (p. 51). De paradiso ac tertio caelo. Quid sit in regno Dei palpare et videre, manducare et bibere (p. 52). Quid sit in regno Dei duplicia possidere. De quinque sensibus consideratio et ad triginta argenteos collatio (p. 53). Pia emtio Domini Jesu (p. 54). De potentia spiritus in caelesti patria, sicut hic caro suae potestatis est (p. 57). Corpora illic spiritu inferiora non esse (p. 58). De vicissitudine paradisi ac tertii caeli. Quid sit illic quasi nox et dies (p. 59). Quinquepertita passio ad sensus quinque (p. 60). De assimilatione gloriae Christi cum humilitate descensionis et mortis (p. 61). Quod corona spinea alterius coronae signum fuerit. De resurrectione et ascensione dominica. De potestate salvandi, quae data est Domino Jesu, cum prius perdendi impios potestatem haberet (p. 64). De potestate judicandi, quae data est filio hominis est in eo quod est homo. Quorundam de omni potestate contradictio (p. 65). Athanasium afferunt pro argumento. Congrua dictorum Athanasii intelligentia (p. 66). Inquisitio de desuper caelestibus. De paradiso terrena, caelesti ac tertio caelo (p. 67). De sensibus spiritualibus (p. 68). De paradiso ecclesiastica

(p. 69). Contra eos qui dicunt, nihil assumptum esse Deum, et qui latriam assumpto homini deferendam nec fateri nec diffiteri audent. Blasphemia Folmari (p. 70). Similitudinis adductio, qualia illorum argumenta sint (p. 72). Inconsequentem connexionem dictionum non praejudicare veritati dictorum (p. 73). Istos eidem filiationi hominis assumpti contradicere, cui et Judaei contradicant in Christo. Probatio divinitatis opera divina in homine (p. 74). Improbatio Nestoriani dogmatis (p. 75). De usurpatione cavenda (p. 76). De concordantia Gregorii papae cum Hilario (p. 78). De concordantia inter Athanasium et Hilarium (p. 79). Folmari peregrinitas in Hilario et inscitia exponendi (p. 80). De imitatoribus Cham (p. 82). Bona distinctio paternitatis. Cur spiritus sanctus per filium mitti dicatur a patre (p. 84). Mentio Hilarii de Christi divinitate et humanitate (p. 86). De sublimium causarum sublimi effectu (p. 87). De operatione totius trinitatis in sacramento incarnationis dominicae (p. 89). De quatuor generationibus miris (p. 90). Testimonium patris de filio (p. 91). Concordantia Hilarii cum Hieronymo (p. 93). De diversa significatione hujus nominis, quod est humanitas (p. 95). Mentio magistri Hugonis (p. 96). Reprobatio sensus haereticorum (p. 98). De aqua in vinum conversa (p. 101). Gusta, prudens lector, vinum non accidentaliter, sed essentialiter bonum (p. 102). Utilis fuga. De adventu Heliae (p. 104). De Jacob suas manus cancellante (p. 106). Quod divina persona coepit esse humana (p. 108). Attende, lector, quod neutrale simulque copulativum est (p. 109). De cavenda fallacia inani (p. 110). Magna dignatio. Magna dignitas. De aure (dextra) abscisa (p. 112). De duobus fontibus Jordanis (p. 113). De duobus datis optimis et donis perfectis (p. 114). Signum, cui contradicitur (p. 116). Contradictio impia et profana. Assertio sana (p. 117). De armilla fortissima (p. 119). De amore impassibili (p. 120). Detestanda impietas cavenda (p. 122). Mentio monstrosi miraculi (p. 124). De verbis apostoli super ordine rerum inter homines et Deum (p. 127). Conciliatio verborum Augustini, quae secum pugnare videntur (p. 134). B. Virgo Dei sponsa. Distinctio inter naturam et naturam (p. 135). Quid natura generis et quid natura nativitatis (p. 136). Determinatio dictorum Augustini. Auctor hic coaevus S. Bernhardus et Rupertus Tuitiensis (p. 139). De Isaac (p. 140). De inusitato partu (p. 142). Christus tripartiendus non est (p. 150). De malo antecedente malum consequens (p. 151). Reprobatio quorundam scholasticorum (p. 153). De sacramento mediatoris (p. 155). Personam Christi non posse duplicari vel triplicari (p. 157). Quod inconsequens connexio dictionum non praejudicat veritati dictorum (p. 158). Quid esse atque aliquid esse procreant esse aliquem (p. 159). Qualiter sit intelligendum: *Quod natum est de carne etc.* (p. 161). Improbatio Folmari. Absconsio mirabilis (p. 162). Deus ubique (p. 163). Quid cui supponendum vel quid de quo praedicandum (p. 164). De sacrificio turturis et columbae, vaccae, caprae, arietis. Christus qua turtur; item qua columba (p. 165). Aves quae et qui abigendae a sacrificio (p. 166). Quae sit vera aeternitas. Excusatio magistri Hugonis (p. 173). Improbatio falsi argumenti (p. 178). Improbatio Folmari (p. 179). De gloria hominis in Deum assumpti (p. 180). Deus in forma humana et homo in forma divina (p. 182). Laus dictorum Hilarii (p. 186). *Doctus* nomen recipit comparationem (p. 187). Christus quomodo granum sinapis (p. 188). In miraculis non quaerenda ratio (p. 189). Orationem filii pater exaudivit (p. 190). Plena

testificatio (p. 191). De linteaminibus et sudario Christi et tunica. De pallio Heliae (p. 192). Justum judicium (p. 194). Quod Christus, via et veritas in via, vita erit in patria. Quod agnus amplissimum templum est (p. 197). Deus omnia in omnibus. Absconsionis exemplum. De arca Dei (p. 199). Distinctio caelorum (p. 204). De paradiso (p. 205). De latere templi dextro (p. 206). De mysterio crucis Christi (p. 208). De merito passionis dominicae (p. 210). De congruentia visibilium ad invisibilia (p. 211). De corona capitis Jesu (p. 212). De statera (p. 213). De quatuor generibus hominum (p. 214). Alia collatio gloriae cum passione (p. 215). Mira humiliatio. De Christo, quod et mediator in angelos et patrem sit (p. 216). De mediatore. De absconsione Dei in homine et e converso (p. 217). Absconsio profunda (p. 218). Congruum absconsionis exemplum (p. 219). De luce inaccessibili (p. 221). De templi altitudine (p. 223). De rabie persecutorum. De fraudibus haereticorum (p. 224). Nova resuscitatio haeresium antiquarum (p. 225). De filio excelso et elevato (p. 226). Grande spectaculum (p. 227). De obloquentibus (p. 228). Athanasii auctoritas e suo symbolo explicata (p. 229). Attentendum, quid *secundum quid* dicatur (p. 230). De natura et privilegio naturae (p. 231). Quod subjectio pietatis non minuit dignitatem (p. 233). De subjectione gloriosa (p. 234). Hieronymus Hilarium laudans Ambrosio concordat (p. 241). Discrepantia B. Augustini ab Hilario et Ambrosio et a se ipso, quantum attinet ad superficiem verborum (p. 242). Concordandi sunt patres (p. 243). Inter patrum dicta diversitas, non adversitas (p. 244). Quod subjectio consessui non repugnat (p. 245). Contentionum depulsio (p. 246).

[Lectori.

Quatuor prima folia hujus operis excusa sunt in tomo insignium autorum graecorum et latinorum, quae nuper in lucem dedit admodum reverendus et magnificus Dominus D. Petrus Stevartius, academiae nostrae procancellarius. Dignus scriptor iste esset, qui totus evulgaretur, nisi, dum alicubi quam longissime a Nestorianismo recedere cupiens, propius ad Eutychianismum et ad hodiernam Lutheristarum ubiquitatem accessisset. Cujus rei exempla habes infra pag. 162, 163, 172, 173, 180 et sqq., ubi videbis eum asserere, humanam naturam a Christo assumptam per assumptionem factam esse omnipotentem, omniscientem, aeternam, uno verbo deo aequalem; et quod Christus dixit: *Pater major me est!* id intelligendum esse de humana natura praecise secundum entitatem suam spectata — hac enim filium esse minorem patre et patrem majorem filio —, non de natura jam assumpta et ad dexteram patris collocata — hac enim natura filium aequalem esse patri. Et hac distinctione putat se omnes nodos dissolvere posse; quam proinde saepius adhibet. Quae omnia sunt ipsissima ubiquistarum deliramenta, quae decanus iste hausit a suo magistro Gerocho, qui in libris De Investigatione Antichristi simili prorsus pede incedit.

Descriptus est liber iste ex codice manuscripto monasterii Raitenhaslachensis in Bavaria. Descriptus autem est felici manu et calamo P. Ferdinandi Crendelii piae memoriae, cui saepe quasi cum verborum et characterum portentis luctandum fuit. Adeo codex depravate et flagitiose exaratus erat. Et quamvis, meo judicio, hic autor in lucem edi non debeat, utile tamen est, ut hoc ejus apographum asservetur, quia theologo non pauca suppeditabit, quibus disputationes suas locupletiores efficere queat. Nec eo fine descriptus est, ut laceretur et sellas Patroclianas ditet, sed ut legatur ab illis, quos varietas lectionis delectat.

Vale. 29. Martis 1616.

Jacobus Gretserus.]

Prologus.

Diversis diversa de Christi secundum carnem natalibus simul et gloria, qua nunc apud patrem glorificatur, sentientibus, nonnullis vero ex eis etiam nostra dicta vel sensa super his lacerantibus, insuper vero etiam falsa quaedam nobis impingentibus, subsequentis operis necessitas mihi imposita est. Quod tamen epistolari compendio terminari potuisse ad horam putavi. Sed dum vel nostra asserui, vel adversantium calumniatorum dictis et objectionibus obviavi; dum mendaciter nobis imposita depuli: in longum idem opus protelatum est. Quod sequestrata epistola Apologeticum dici volumus, eo quod in ipso ea, quae vere nostra dicta sunt, naevo pravitatis carere monstrantes, etiam falso nobis imposita depulimus. Sic autem impulsionem hanc calumniantium accepi, tanquam per eos inter diversas de Domino diversorum opiniones ipsum nobis dicentem audirem: *Vos autem quem me esse dicitis?* Cujus et generationi secundum carnem quoque divinissimae, simul et gloriae per meritum passionis etiam homini in paternae majestatis consessu acquisitae, ea devotione simul et cautela testimonium perhibui, ut sperem, me ab illa Petri testificatione, qua dixit: *Tu es Christus, filius Dei vivi!* simul et ab aliis evangelicis et apostolicis testimoniis hominis assumpti divinitati et gloriae perhibitis non aberrasse. Quamvis autem liber ipse ad personam unam in longinqua regione positam destinatus sit, omnes tamen, qui non captiose, sed pie legere nostra curaverint, putent sibi eum destinatum; ad quorum etiam ammonitionem paratus ero corrigere, quaecunque vel rationi (2)
contraria vel a sancta scriptura dissona vel sanctorum patrum assertionibus adversa nobis in nostris demonstrare potuerint. Quod si unum quempiam, vel duos ex patribus citra ea, quae diximus, remansisse invenerint: obsecro, ne nimis festini nostri nostrorumque dictorum judices sint. Nam quod unus vel duo minus forte uno in loco dixerunt, ab aliis non minoris auctoritatis viris, vel ab iis

ipsis alias suppleta, si quaerent, invenient. Ad hoc autem sanctorum patrum dicta pro nobis facientia in eodem opere nostro vel acervum testimonii locis opportunis congessimus, ut venientes eo usque adversarii persequentes nos ultra progredi non praesumant. Sed nec illa, quae nobis contraria putantur, omisimus, ut eadem determinando cum sanctae canonicae scripturae sensibus, quoad potuimus, faceremus concordare. Nam ut patres ea loquuntur, quae cum sanctae canonicae scripturae apicibus concordant, ibi non determinatione, sed fide majore opus est, etiamsi ea, quae dicuntur, humanae intelligentiae facultatem excedant. Sed nec una hujus opusculi nostri pagella quis lecta id, quod in ea his, quae in scholis forte audivit, aut quae sua sibi dictavit opinio, contrarium invenerit, in contradictionem vel sugillationem nostri rapiat, vel codicem, quasi amaricantibus ad insuetum cibum dentibus, detestetur, quin potius lecta cum praecedentibus et subsequentibus conferat; et, ut spero, omnia salva erunt. —

[Epistola.] Magistro P. †) venerabili Herbipolensis ecclesiae decano Fr. A. dictus et ipse divina clementia Reicherspergensis coenobii decanus; si quid valet peccatoris oratio.

Sciens, vestrae honestatis non latere personam, quantas et quales vicinus vester, Folmarus de Petrastillante dictus, magistro nostro, Reicherspergensi praeposito, injurias irrogaverit in epistola sua domino nostro, Juvavensi archiepiscopo, missa, non me temerarium apud vos judicari arbitror, si me scutum opponere tentavero pro illo, cujus et germanitate secundum carnem frater et in Domino filius sum. Sed enim, ut verum fatear, epistola illa maledicta et maledicenda, si quidem maledictis plena, mendaciis respersa, felle amaritudinis infusa, utpote, juxta nomen auctoris, de folle amaro et amaritudinis missa, nondum a magistro nostro perspecta est hoc me ad vos scribere inchoante. Quia jure inter caetera id bonum
(3) (est) contentionis hujus, ut, cum epistola forte ad eum, contra quem erat scripta, pervenisset, simul quoque et ea, quae a suis essent contra dicta, acciperet, et quem injuriarum forte acerbitas humanitus contristasset, injuriarum depulsio, simul et mendaciorum exinanitio consolaretur. Quamvis ne id quidem contristare nos debeat, quasi nobis novi aliquid contingat. Nec enim novum, virtuosis improbos invidere, nomenque sibi eos, qui nullius nominis aut

†) Adam erat decanus monasterii Eboracensis, decanus autem Reicherspergensis erat Arno.

meriti sunt, ex detractione in ecclesia virorum spectabilium comparare, infelices se, ac sine causa natos arbitrantes, nisi nomen suum quoque, nacti occasionem, sparserint in populum, ne homines viventes morientesque fallant, si apud eos vel falsae virtutis opinione, cum vere non possent, vel saltem in malum, cum non possent in bonum, memoriam non relinquant. Haec namque intentio plerosque sicarios, latrones, piratas et aliorum scelerum principes ac duces effecit, dum quaerebant magis et per malefacta, insuper et mendaciter, apud homines celebrari, quam felicem in silentio vitam peregisse. Hinc et noster Follis-amarus non quiescit, scribit et rescribit, legendas circumfert epistolas libere increpationis plenas. Principes occulte scriptis infamat; quibus tamen in facie adulans, munuscula eorum libenter Giezitico more acceptat. Porro doctrinae perversitate aërem ipsum maculat, natalibus Domini nostri Jesu Christi derogat, dicens, eum in eo quod homo est, ut auribus nostris audivimus, non aliter esse filium Dei, quam unum ex nobis. Resurrectionis quoque gloria et honore ascensionis glorificatum negat paternae aequalitatis gloriam introisse aut introire potuisse. Resistentes vero sibi nos in hac pestifera doctrina mendaciis commaculat, suumque mortuum filium nobis nocturna fraudulentia, sed aperta coram principibus et laicis procacia nititur supponere, nostrum vero vivum sibi vendicare. Sed, judicante rege Salomone, non proficiet. Archiepiscopos et episcopos in epistolis suis imperitiae vel negligentiae arguit et addicit, ducem se non jam caecorum solum, sed et videntium constituens; quasi ipse melius de longe, quae apud eos gerenda sunt, quam ipsi sua de prope cognoscant. Haec sane impigre ac temerarie satagit, non ut eos iniquitati, sed magis nostrae innocentiae infensos efficiat. Sustineant vero illi, quamdiu volunt, ejus insipientiam, cum sint ipsi sapientes — nam noster dulcem patientiam exsuperat —, contra quos linguam serpentinam exacuit, virus evomit, os vipereum dilatat, non quidem vitam in nobis temporalem, sed id, quod Deo vivimus, quodque Christiani veri sumus et esse ac dici cupimus, volens extinguere. Sed agat et satagat, quantum volet, quantumque, Deo permittente, a suo sessore diabolo concitatur. Nam Deo nos protegente, quamdiu superest halitus in nobis, non incidemus id, in quod nos praecipitare molitur, contra Deum negationis barathrum, ut cum ipso in Dominum Jesum dicamus blasphemiam, ut negemus hominem assumptum in Deum esse Deum, esse proprium Dei patris filium, esse id, in quod assumptus, et in quod ex spiritu sancto et Maria

virgine natus est. Cujus perversae in faciem resistentem doctrinae magistrum nostrum draconi in occulto sibilanti comparat; quasi ipse magister noster ea, quae de hominis in Deum assumpti vera divinitate loquatur, hactenus in occulto et non in palam locutus sit; quasi non de verbo hoc contra novos Paulianistas, Nestorianos, Photinianos loquens et scribens aures etiam Romanae ecclesiae impleverit. Non est autem erubescendum de Christi et hominis assumpti in Deum gloria evangelium, sicut Paulus quoque apostolus non erubuit gloriae beati Dei, haud dubium, quin Domini nostri Jesu Christi, quemadmodum ait: *Non enim erubesco evangelium Christi; oleum enim effusum nomen ejus: et jam olim per publicum praedicatum est, manifesteque magnum est illud pietatis sacramentum: quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, praedicatum est gentibus, creditum est* †) *mundo, assumptum est in gloria. Nempe omnis lingua jam confitetur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris.* — Unde prorsus elinguis ac penitus in ecclesia Christi non audiendus, quisquis paternae gloriae consessum homini a Verbo assumpto abrogaverit. Etenim in omnium linguarum eum jam in gloria patris esse confitentium numero computandus intelligitur. Sibilare nos more draconum dicit, cum potius ejus, qui ita fari gestit, sibilus antiqui serpentis sit, qui cum in caelo filii Dei locum, id est, altissimi similitudinem appetens, id ipsumque homini suadens ab intentionis suae ausu ceciderit, nunc alia via tortuosus ac lubricus incedens, filioque praelationem gloriae invidens, eum a patris consessu ad hominum communem usque similitudinem molitur deducere, ut in fide hominum non aliter in humana natura filius Dei quam unus ex nobis sit, nec aliter in gloria Dei sit credendus,
(5) quam unus quispiam magnorum angelorum vel hominum, quantulam tamen sanctis hominibus et angelis potiorem gloriae mensuram obtinens, ad ipsam vero immensam divinitatis gloriam non pertingat.

†) *in* omissum est.

Miranda nimis ac detestanda veternosi serpentis astutia, qui ut olim congruum suae nequitiae invenit organum, ita nunc sibi delegit Folmarum, follem amarum, per quem id hominibus suadeat, quod in Christum Jesum tanquam in Deum credendum non sit; quod homo ille in Deum assumptus Dei patris naturalis et proprius filius non sit, quodque in plenitudinem paternae gloriae obedientia mortis consummata non transierit, ac proinde nec latria, quae soli Deo debetur, sed potius dulia sit exhibenda. Ecce igitur plus quam Nestorius hic. Ille enim hominem coadorandum Verbo docuit, quemadmodum ait: Separo naturas, unio adorationem; item: Inconfusam igitur naturarum custodimus conjunctionem. Confitemur in homine Deum, veneramur divinae conjunctionis omnipotenti Deo coadorandum hominem. — Iste vero ne coadorandum quidem censet. Tanto igitur iste prae Nestorio damnatione dignior est, quanto ab adoratione Verbi carnem Verbi excludit.

Item; Nestorius B. Mariam Dei genitricem dici vetuit; docens, eam non Deum, sed tantum hominem Deo conjunctum genuisse. Iste et amplius in errore pessimo procedit, dum et Deum patrem esse assumpti a Verbo hominis negare praesumit, afferens pro argumento illud philosophicum, quo dicitur, ex insensibili nihil sensile nasci. Hoc enim argumentum si ex naturalibus in theologiam admittitur, exinanita est fides, qua ecclesia hactenus indubitanter confessa est, Virginis filium Dei quoque filium existere; quia, sicut totus Deus totusque homo est, ita utriusque parentis totus est filius confitendus. Sed ne in naturalibus quidem penitus constare videtur argumentum, quo ex insensibili nihil dicitur sensile nasci, et e converso, cum videamus ex vita grani, quae sensibus non percipitur, herbam et spicam, simul et alia in spica grana nasci. Pone enim grana frumenti alia ad solem aut†) in furno desiccata; quorum alia, ea videlicet, quae ad solem siccata sunt, seminibus adhuc apta erunt, alia vero minime, eo quod vitalis in eis vigor exstinctus sit, sensu tamen in his vel illis vigorem vel exstinctionem ejusmodi

---

†) alia (?).

(6) in nullo percipiente. Si vero dicitur insensibile id, quod sensu nemo †) percipit, nihilque ex eo sentiens nasci: id esse falsum, quam plurimis argumentis edocetur, cum videamus e terra vermes et animantia quam plurima nasci, sicut e fimo etiam equino bruchorum quaedam species procreatur.

Verum nos sicut ad fidem, quae in Deum nobis est, naturalium non ducimur argumentis, ita, ubi eadem deficiunt, fidem infirmare non possunt. Aufer argumenta, ait quidam sapiens, ubi fides quaeritur. Et apostolus: *Fides*, inquit, *est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Et B. papa Gregorius: Fides, ait, non habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum. Igitur in his, quae secundum Deum credenda sunt, quanto ratio deficit, tanto meritum fidei perficere perdocemur. Neque vero pater noster Abraham ideo infirmatus est in fide, quia videbat proprium corpus emortuum et emortuam vulvam Sarae; cujus si vere filii sumus, exempla imitari debemus.

Videmus autem et in naturalibus quaedam fieri naturae adulteria, super quibus etiam illud legis praeceptum est, ne coire faciat Judaeus jumenta sua cum alterius generis animalibus; ex quo videlicet coitu animalia quae nascuntur neutrius parentis speciem plene retinent; sed biforme quiddam et monstruosum mistumque, ut ait poeta, genus est. Super qualibus et nos quidam indisciplinate arguere ausus est, quia Christum ex Deo et virgine Maria natum biforme velimus genus facere. Sed absit a nobis, horrisonum illud dictu vel cogitatu unquam vel mente concipere, ut supernaturalia Dei adulteriis naturae assimilemus, vel Dominum nostrum Jesum Christum biforme quiddam, quod nec Deus plene nec homo sit, arbitremur. Etenim supernaturalia Dei naturalia humanae naturae, ad imaginem suam factae, nec corrumpunt nec excludunt, quin potius sua unione super semet ipsa in divina mirabiliter attollunt, in propria quidem natura et ipsa manentia, et humana conservare potentia. Quod enim supernaturale est, in omnia naturalia omnifariam potens est, suae tamen sublimitatis et excellentiae jure in omnibus conservato nec se ad indigna se penitus inclinans. Unde et Deus more nostro videre et audire in scripturis sanctis dicitur, cum tamen more nostro nec aurem ipse nec oculum habeat.

---

†) loc. corr. — l. *sensu non percipitur,* nisi navis *sensu nemo percipit.* Certe ablativus *sensu* non dubius est.

Unde et David dicere nec voluit nec debuit: Qui plantavit ırem, nonne et ipse aurem habet? et qui finxit oculum, nonne ; ipse oculum habet? sed: *Qui plantavit aurem,* ait, *non ıdiet? aut qui finxit oculum, non considerat?* Sicut ergo audit ; videt, ita quoque suae divinitatis modo tangit, quae suo attactu gna judicaverit. Suae, inquam, sublimitatis modo videt Deus, ıdit atque tangit et operatur, in nullo corporei membri utens vel (7)
digens instrumento. Quomodo enim aure vel oculo aut manu ad ıdiendum, videndum et tangendum vel operandum indigeat, qui tus sibi auris, oculus et manus est? Videt autem, audit atque ngit Deus non nostrae passibilitatis modo, sed suae impassibilitis et aeternitatis virtute. Videt atque audit omnia, non quo sus ejus in rem oppositam agat, vel auditus sonos offendentes et lvolantes excipiat, sed quod eum nihil nostrorum motuum vel gitationum, ne dicam dictorum, lateat, nihilque eorum, quae fecit ıt quae voluit sibi, ejus contuitum atque scientiam celare valeat. *nnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus.* Videt omnes et ɑnia quae fiunt sive in caelo sive in terra, diverso tamen, quod effectis patet, contuitu: quosdam videlicet per gratiam, quosdam ro per iram. Unde scriptum est: *Oculi Domini super justos; aures ejus in preces eorum. Vultus autem Domini super fantes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.*

Similiter autem et operatur Deus manu propria ad agendum c utens nec indigens, quippe cujus velle fecisse est. Amat quoque zelat Deus, non quod nostrae infirmitatis modo passibiliter, sed ıe virtutis privilegio impassibiliter. Qui sicut totus oculus, ita totus amor est. Tangit quoque animas suo attactu dignas, quas lelicet suo attactu ipse dignas effecerit. Ejus vero tetigisse est, ıesentiae suae et ingressus in animas sanctas sensibile ejus sigm dare, imo et miro atque ineffabili modo eas, cum voluerit, ıc intellectu, nunc et in affectu, interdum quoque in sensu, mira ɑdam et huic seculo penitus ignota suavitate afficere — quippe i totus ipse suavis et vera atque summa suavitate est — osdam †) vero in aemulationem atque zelum contra vitia et visos spiritus ††) sui igneo quodam afflatu suscitare. Sic autem : agit, ut vigilantes seu dormientes interdum signa quaedam inae visitationis in semet ipsis recognoscant, sanctis solummodo, ɔs Deus novit, experta et usitata maxime, tunc cum eos in opus

†) quasdam (?). — ††) ms. t. *spiritu.*

aliquod spiritale suscitare voluerit. Quorum, nimirum Deum diligentium ac dilectarum Deo animarum, pro experimento divini attactus in amoris Cantico haec vox est: *Dilectus meus misit manum suam per foramen et venter meus intremuit ad tactum ejus.*

De fructu quoque spiritalis operationis ejusmodi tactum subsecuto subsequenter subjecit dicens: *Surrexi, ut aperirem dilecto meo.* Nequaquam enim suscitatae et foecundatae animae ministerium suum Deo negare poterunt, quin surgant et oris pessulo discluso verbum Dei tractando ipsum in corda audientium vel
(8) legentium introducat. Et talis quidem animarum foecundatio ex dilectione est.

Aliae vero et ex timore concipiuntur, quarum vox est: *Domine, a timore tuo concepimus et peperimus, spiritum salutis fecimus super terram.* In omnibus tamen nihil indignum se divinitas agit cum hominibus vel angelis, habitans in eis, et in eis ac per eos agens, quae vel ipsorum vel aliorum saluti conducunt; imo vero valde decet Deum ista dignatio, ut ei de salute nostra et de laude sua per nos amplianda cura sit. Nos quippe sumus illa Sion, de qua scriptum est: *Te decet hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddetur votum in Hierusalem.* Neque vero innaturale est Deo, habitare cum hominibus, quippe quos ad imaginem suam contemplandam condidit, sicut oculus noster solus prae omnibus membris ad solis lumen creatus est. Unde et universam ecclesiam, simul et singularem quamlibet sibi dilectam seque diligentem animam sponsam vocare dignatus est, seque ab ea sponsum vocari non dedignatur. Quin et inter hanc sponsam et se per spiritum suum decantari et scribi procuravit Epithalamium, carmen videlicet nuptiale, unde totus ille tertius libellus Salomonis contextus est. Super cujus amoris experientia Paulus quoque apostolus dicere non dubitavit: *Pax Dei, quae exsuperat omnem sensum;* item *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum;* item: *Corpus non fornicationi, sed Domino, et Dominus corpori;* et illud: *Qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur; qui autem adhaeret Domino, unus spiritus est.*

Et hoc dicimus, ut nec inconsuetum nec innaturalem inter Deum et rationalem creaturam demonstremus amorem. Nihil enim fere magis naturale Deo factori omnium, quam diligere facturam suam, praecipue tamen eam, quam ad sui imaginem et similitudinem

condidit, quam ad se cognoscendum et diligendum creavit; sicut item rationali creaturae valde naturale est, factorem suum versa vice diligere. Nam si qui rationales spiritus Deum factorem suum non vident nec diligunt, ex vitio id potius naturae quam ex eorum natura est. Igitur omnes angelici spiritus et homines, qui tamen ad annos discretionis venerunt, ex propriae conditionis natura Deum nosse ac diligere possunt; qui tamen in eo ipso, quod naturaliter apti sunt, non proficiunt nisi divinitus adjuti. Quod vero non omnes adjuvantur, non ex defectu potentiae vel bonitatis divinae est, sed ex vitio ipsorum, ejus adjutorium non quaerentium. Quamvis ne ipsum quidem sine ipso quaerere utiliter valeamus, (9)
ut totum bonum nostrum potius gratiae ipsius quam meritis nostris imputetur, ut ei soli sit gloria, cujus et gratia est.

Sed cur ista prosequimur, nisi ut, non quasi oppositas, imo magis vere ad invicem appositas divinitatis et humanitatis angelicorumque spirituum naturas agnoscamus? Alioqui si naturaliter ad invicem divinitatis et humanitatis formae oppositae essent, nunquam in unam subsistentem uniri potuissent: sicut videlicet asinitas et humanitas nunquam in unum subsistentem uniri possunt, ut unus atque idem homo perfectus atque asinus item perfectus sit: quemadmodum Dominus Jesus Christus, perfectus Deus, perfectus etiam homo est, ex anima rationali et humana carne subsistens. Quae si et ipsa ad invicem essent opposita, quamvis genere et forma corporeitatis et incorporeitatis disparata, ne ipsa quidem in unum subsistentem unquam uniri potuissent. Sicut vero rationale et animatum disparia sunt, et ab invicem separata in angelis et bestiis inveniuntur, quae tamen, quia ad invicem non opponuntur, in unam hominis naturam uniri potuerunt: ita ergo divinitas et humanitas, quia ad invicem non oppositae, sed valde appositae, ut ita dixerim, naturae sunt, in unum subsistentem Dominum Jesum Christum uniri naturaliter potuerunt, quae tamen etiam ab invicem, ut notum est, in patre Deo et spiritu sancto et in omnibus, praeter Christum, hominibus ab invicem disparatae sunt.

Quamvis enim omnes sancti homines, sicut angeli quoque sancti Deum in se habitantem habeant, divinaeque naturae per Christum consortes effecti sint, ita ut ejus divinitatis inhabitatio in habitum versa sit, nec aliud quam Dei inhabitatio permaxima eorum pars jam esse possit, in nullo tamen eorum eo essendi modo est, quemadmodum in Christo est et erat Deus *mundum reconcilians sibi.* In caeteris enim, angelis, sanctis, et hominibus, accidentalis

Dei inhabitatio est, licet ipsa inhabitans divinitas substantia, imo magis supersubstantia et supersubstantialis forma sit. Prius namque angeli et homines fuerunt, quam Dei inhabitatio existerent; Christus vero ex spiritu sancto et virgine Maria homo in Deum, et Deus in hominem conceptus et natus est. Unde et caeteri
(10) sancti accidentali dono dicuntur dii, videlicet nuncupative, et constitutive in deos adoptati. Unde est illud: *Ego dixi, Dii estis et filii Excelsi omnes;* et illud ad Moysen: *Ecce, constitui te Deum Pharaonis.* Christus vero non accidentali dono sed substantiali bono Deus conceptus et natus est. Et caeteri quidem singuli sanctorum*) per unum in se accidentaliter inhabitantem spiritum divisivas gratias acceperunt, ut alii Cherubim, alii Seraphim, aliisque alii meritis et moribus insignes sint, in hominibus quoque alii patriarchae, alii prophetae, alii vero apostoli, aliique aliis nominibus prae caeteris clari habeantur. In Christo vero *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter,* hoc est, in corpore ipsius, ut videlicet, quomodo in capite hominis omnes animae sensus uniti inveniuntur — quamvis et illic per singula instrumenta dispertiti sint —, ita omnium sanctorum divisivae gratiae in ipso adunatae sunt.†) Parum dixi. Nam et hoc de quodam participe ipsius gratiae dictum est ab alio quodam ejusdem gratiae comparticipe, quod omnium justorum spiritu plenus fuerit. Benedictus hic erat. Dico amplius, et verum dico, quod si omnes gratiae omnibus angelis et hominibus datae in unum deferrentur, ne adhuc comparatum iri ad gratiae illius superexcellentem gloriam, quae est in Christo Jesu Domino nostro. Quomodo enim, si ††) lunaris lampadis et omnium stellarum, si in unum conferrentur, hemisphaerium lumen solis fulgorem non exaequat: ita de plenitudine divinitatis corporaliter in Christo inhabitantis, et omnium sanctorum angelorum, et hominum divisivis gratiis in unum collatis aestimandum est. Nam quod et ipsi lux sunt, ab ipso sunt. Et non vera lux sunt: ipse autem solus *vera lux est, quae illuminat omnem angelum et omnem hominem venientem in hunc mundum,* sicut lumen quoque lunae et stellarum omne a sole est, eo quod, ut physici perhibent, sol aetherei ignis fons est.

Quamquam autem filius etiam ipse lumen de lumine sit, non tamen alterius naturae lumen ipse quam pater est. Ad hoc enim et illud pertinet: *Sicut habet pater vitam in semet ipso, sic dedit*

---

*) angelorum. — †) sint (?). — ††) haec particula abundat.

et filio vitam habere in semet ipso. Neque vero quasi tres lu-
cernas aut tria lumina ab invicem distantia trinitatem †) Deum
colimus, sed unam veram lucem, a semet ipsa lucentem, trinitatem
sanctam adoramus. Et hujus lucis natura adeo omnem angelicae
et humanae naturae lucem creatam superexcellit, ut, quod in eis (11)
lucet, hujus comparatione lucis, quasi clarificatum non sit; quomodo
sole oriente omnes solent stellae disparere. Unde tres illi discipuli,
Domino in monte clarificato, cum ad se redissent, neminem viderunt,
nisi solum Jesum. Ille enim, quia solus videtur in omnibus, a quo
omnium est vita, lumen et salus. Et cum amplius divina humanis
superexcellant, quam si angeli excellentiam conferas cum extremi-
tate vermiculi: etenim angelus vermiculum ex nihilo creare im-
potens est, Deus autem angelum, simul et omnia, quae sunt, creare
potuit ex nihilo: ut tamen ad illam, quam diximus, divinitatis
superexcellentiam homini per humilitatem accessus est, tantaeque
excellentiae ad humana se humiliare nec innaturale nec indignum
est, imo vero soli Deo, manere quod est et insuper fieri posse ho-
minem, naturale est. Neque enim vel angelus humana anima sub-
tilior est, ut ei capabilis esse valeat, sicque ex concursu naturarum
una cum homine persona fieri; quomodo ex concursu animae ra-
tionalis et humanae carnis homo subsistit. Nam solius divinae
naturae subtilitati hoc proprium est, ut, quemadmodum anima cor-
poris, ita Deus animae capabilis, et, versa vice, ipsa ejus capax sit.
Sicque ex duabus et in duabus naturis, divinitate scilicet atque
humanitate, tribus vero essentiis, videlicet Verbo Dei, anima ra-
tionali, et humana carne, Christi persona subsistit, tribus nimirum
essentiis seu duabus naturis naturaliter in unam personam concur-
rentibus. Non quod nova persona ex concursu naturarum Christus
esse coeperit; quin potius Verbum Dei in suae personalitatis uni-
tatem in naturalis filiationis Dei honorem hominem sibi univit.
Alioquin si non in naturalis filiationis honorem et unitatem homo
assumptus esset, sed, quemadmodum aiunt, per gratiam solam et
per adoptionem vel per unionem seu habitum conjunctus: jam non
unus, sed, juxta Nestorium, duo filii essent, unus videlicet naturalis,
alius per adoptionis gratiam et per unionem quandam naturali
conjunctus. Sed absit hoc a fidelium cordibus, ut ita Christum in
duos filios dividant, quemadmodum in cujusdam magni et nominati
magistri glossis legimus. Qui glossans illud apostoli: *Propter*

†) haec vox errato ex sequentibus sumpta videtur esse.

quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen — dicere non timuit ea, quae subjuncta sunt. Quibusdam videtur hoc nomen datum homini. Quod nulla ratione competit. Hoc enim donum, esse Dei filium, hoc nomen, esse Deum, quod non per solam appellationem, sed per naturam super omne nomen est, quod non post passionem, sed potius a patre, a quo habet omnia, cum generaretur, accepit, hoc ergo non est ho-
(12) mini datum; nisi quis forte dicat, per adoptionem esse datum. Sed adoptivo Deo non flectitur omne genu, nec est in gloria Dei patris. Nam nato ex Deo hoc competit. Dicit enim apostolus: *Propter hoc dedit illi Deus nomen, quod est super omne nomen.* Quod ideo, quia natus accepit, ut post ecclesiae manifestaretur, quod a patre cum generaretur accepit. — Haec nominatus ille magister dicere non dubitavit, imitatus quendam Ambrosium cognomento Audbertum, de monte S. Benedicti monachum, putans forte magnum Ambrosium; sicut alii quoque in eadem aequivocatione nominis decepti sunt. Sed, licet quicunque monachus, quicunque Ambrosius, vel etiam angelus de caelo†) evangelizet, praeterquam nobis evangelizatum jam olim ab apostolis et evangelistis est: anathema nobis ejusmodi doctrina sit.

Hunc sane praenotatum magistrum ejus imitantes discipuli sic etiam loqui solent: Alicui dicenti hominem illum Deum subjecta vel supposita, inquiunt, persona, verum dicis; supposita natura, mentiris. Dumque inquiruntur, quam rem personam nominent, ad Verbi assumentis se significationem adstringunt, ut hominem assumptum a divinitatis, in qua natus est, naturali forma et gloria, simul et personae significatione penitus excludant. Item: Qui dicunt hominem illum Deum, et e converso, tropo, inquiunt, accidentalitatis verum loquitur.††) Dumque, tropum accidentiae quem nominent, inquiruntur, tropum accidentiae se aiunt dicere solere, ubi praedicatum non redditur causae; ut si dicat quis: Coloratus intelligit. At nos homine illo in Deum assumpto et nato, in locutione supposito, credimus, eum simpliciter, proprie ac vere Deum praedicandum, atque pronunciandum esse, sicut evangelistae, apostoli, simul et prophetae docuerunt, nullaque figura ad exponendum quae plana sunt opus esse, quemadmodum aiunt, tropo comitantiae, tropo accidentiae, vel ratione consortii. Quantum enim in assertione fidei nostrae tropis addideris, tantum simplicitati ac veritati propriae lo-

†) ms. t. *selo.* — ††) loquuntur (?).

cutionis detraxeris. Item alius nominatus magister in Sententiis suis ait: Christum, in quantum homo est, sicut nos diligere debemus; ejusdemque secundum hominem dilectio, illo continetur mandato, quo praecipimur, proximum diligere, sicut nosmet ipsos; quem etiam secundum hominem magis quam nos, non, quantum Deum, diligere debemus, quia, in quantum est homo, minor est Deo. Item idem in Glossis Psalterii in hunc versum: *Exaltate dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est!* ait inter caetera: Videndum est, quid nos jubeat adorare, cum dicit: *Adorate scabellum pedum ejus.* Terram scabellum pedum ejus esse, dicit alibi scriptura his verbis: *Caelum mihi sedes est; terra autem scabellum pedum meorum.* Ergo terram jubet nos (13)
adorare, quia est scabellum pedum ejus. Sed alibi dicit scriptura: *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* Sed sciendum, quia in Christo terra est, id est caro, quae sine impietate adoratur. Suscepit enim de terra terram; quia caro de terra est, et de carne Mariae carnem accepit. Haec sine impietate a Verbo Dei assumpta, adoratur a nobis, quia nemo carnem ejus spiritualiter manducat, nisi prius adorat. Et haec quidem de verbis Augustini sumpta catholice dicta sunt; quibus jam dictus magister dicta sua subjecit, adorationis modum determinans.

Non dico, inquit, illa adoratione carnem Christi adorandam, quae latria est — quae soli creatori debetur —, sed illa, quae in dulia dignior est. Dulia enim adoratio est, quae etiam creaturae exhibetur. Quae duas species habet: unam quae indifferenter omnibus, alteram quae soli humanitati Christi exhibetur. Haec magister Petrus Longobardus in Glossis Psalterii dicere non dubitavit. Sed et alii licentia disputandi de Christo adeo abusi sunt, ut dicere non dubitaverint, in hac locutione: Homo est Deus, nullam rem dici Deum, sed aliquid Deo unitum; item: Christus est Deus, et: Ego principium, pro parte totius, vera est; item, Christum, cum sit nomen personae, tertiam in trinitate personam non esse, eo quod nihil nisi simplex in trinitate sit; item: Christum facientes nomen sanctum Verbi assumentis, Christum dicunt per hominem quasi per instrumentum fuisse locutum. Haec autem omnia et multa in hunc modum in eorum notulis et opusculis invenimus. Et non quidem jam sufficit eis, in scholis discolis inter disputandum vel sententias proferendo talia dicere; quin et in conventibus ecclesiasticis, in multitudine cleri, et coram episcopis talia clamitantur impune, Christum videlicet in eo quod homo est Dei patris

filium non esse aliter quam unum ex nobis, ac proinde nunc quoque glorificatum in gloria non aequali paternae gloriae, sed in quadam inferiore et minore esse. Et quamvis quidem omnes homines et angelos in gloria supergressus et in eorum fide sit, patri tamen non in sapientia nec in scientia nec in potentia nec in ullo bono aequalis sit aut aequari unquam possit. Insuper vero et anathema ab uno talia dicentium (duo enim erant soli haec dicentes) in aliter sentientes nimis superbe ac festine prolatum est. Et audita quidem sunt haec in facie ecclesiae, et a nemine praeter a duobus contradictum; quorum ego eram unus, alter frater meus germanus, magister Ruodegerus, pridem Augustanus, nunc vero
(14) Nuenburgensis ecclesiae decanus. Audientes enim, natalibus Christi et gloriae detrahi, indoluimus, et, prout tempus dictavit, contradiximus, et patrum testimonia aliter sentientium una cum evangelicis et apostolicis testimoniis in medium proferentes. Audita sunt autem et haec in facie ecclesiae, itemque a nemine contradictum. Insuper vero et adjunximus, nullius nos scholasticorum determinationes in eadem testimonia, quae a nobis prolata sunt, natales Christi etiam secundum carnem divinos itemque gloriam hominis assumpti aequalem gloriae paternae praedicantia, nos †) recipere velle, solius Romani pontificis auctoritate excepta.

Haec autem una cum magistrorum dictis commemorare voluimus, quoniam his duobus nostris, imo Christi contradictoribus, itemque magistrorum, quos diximus, sed et scholarium quorundam ab eis instructorum itemque Folmari nostri, videlicet Follis-amari, dicta prope in unum concinunt, ut, si forte Deo favente uni huic, quem extremum posuimus, fuerit convenienter obviatum, contra singulos decertare nobis necessarium non sit. Et quamvis fides catholica magis auctoritate quam ratione consistat, rationes tamen quoad fidei suffragare ††) poterunt, libenter admittimus. Ubi ver[o] et deficiunt, nihilominus a fidei fundamento non recedemus, utpot[e] scientes, quibus auctoribus credidimus. Primo noster ille, im[o] Christi adversarius jam dictus, Follis-amarus, hoc nobis in calum[-] niam reputat, quod Dominum Jesum in eo, quod homo de Mari[a] virgine ac spiritu sancto natus est, Dei filium naturalem diximu[s]. Sed quaerimus ab eo, quid naturam in rebus nominet; et aestim[o] eum non aliud naturam rei cujusque dicere quam formam sub[-] stantiae ejus vel aliquid in eundem sensum, verbi gratia humani

†) *nos* abundare videtur.

††) alia manus in ms. *suffragare* emendavit in *suffragari*.

tatem hominis, qua videlicet forma omnia substantialia hominis continentur simul comprehensa, vel secundum quosdam solae specificae differentiae, quae proximo generi accedentes hominem constituunt; similiter et in caeteris, etiam inanimatis rebus cuique rei sive rerum maneriei sua propria et specifica forma vel natura est, suis nominibus significata, si tamen ad eam significandam nomina inventa sint. Unde dicimus aliam naturam esse ferri, aliam cupri, (15)
et sic de caeteris. Puto autem etiam de natura esse cujusque rei non solum eum statum, in quo divina voluntate primo creata est, sed etiam id, quod in meliorem statum vel beneficio auctoris vel studio perficiendi vel etiam artificio hominum provehi potest. Verbi causa, lapis igne resolutus in aes vertitur, rursumque aes, id est cuprum diu igne decoctum in orichalcum, insuper vero et in auri puritatem liquatur. Similiter autem versa vice aqua gelu durata fit glacies, insuper et in crystalli duritiem diutino frigore commutatur. Sed et homo in quodam inferiore statu mortalitatis conditus est, potens tamen et ipse in meliorem beatitudinis et immortalitatis statum perseverantia in bono ex divino adjutorio proficere. Haec ergo in rebus ipsa in meliorem statum proficiendi possibilitas et ipsa de rerum natura est. Nisi vero rerum conditor Deus hanc ipsam proficiendi in meliora possibilitatem rebus in primordio conditionis indidisset; nisi res ipsae in hoc ipsum natae aptae essent: frustra de suo profectu liberum hominis arbitrium, frustra et in aliis meliorandis studium artificis laboraret. Igitur, ut dictum est, non solum primordialis rerum status, sed et ipsa in melius proficiendi possibilitas de rei cujusque natura est. Et hanc in rebus meliorandi possibilitatem sive primordialem statum, quod votum, naturam rerum dicimus, eo quod in eo primordialiter conditae et quodammodo natae sunt. Unde et natalem luminis dicimus diem, in quo lux condita vel nata est. Et natura de natu vel natali denominata est. Hanc ergo, ut diximus, naturam sive diversitatem naturarum quis rebus indidit, nisi bonus omnium creator Deus? Vidit enim bonitate sua, in arte sua, in sapientia sua, bonum esse, ita et ita fieri; et dixit, ut fieret; et ita atque ita factum est. Et erant omnia atque singula et omnis omnium rerum natura in sapientia Dei, in Verbo Dei, antequam suis quaeque natalibus in lucem procederent. Et erant in ipsa Dei sapientia non aliud quam ipsa; quae et ipsa non est nec erat aliud quam Deus. Quod enim in rebus factum est, in Verbo vita erat; *et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* In hoc itaque Verbo, in hac

sapientia et arte Dei non extremum, sed utique primum locum illud consilium, qualis et qualiter homo conderetur, habuit, videlicet statu, et in qua vel in quid proficiendi possibilita in qu… sicut in Verbo provisum, ita et factum est. Et statum … hominis, in quo factus est, novimus. Proficiendi quoque facu… non ignoramus. Etenim in quodam mortalitatis statu et in q…tatem facilitate peccandi conditus est: potens tamen perseverando in …dan-dato Dei, gratia ipsius adjuvante, ad immortalitatem et omnimodam angelorum beatitudinem conscendere. Et hoc profecto magna et sublimis humanae naturae conditio est. Omnem vero sublimitatis modum et proficiendi facultatem in humanae conditionis natura supergreditur, posse ipsum hominem naturarum, divinae scilicet et humanae, concursu in unam cum Verbo Dei personam uniri. Sed quia et hoc homini, in ipso et de ipso fieri posse, in primordio conditionis suae donatum est, utique et ipsa possibilitas tam inaestimabilis profectus etiam de natura hominis est. Attamen eadem possibilitas non penes hominem, sed penes Deum ab aeterno fuit. Quamvis enim hoc possibile fuerit ex conditionis suae privilegio in homine fieri, per hominem tamen fieri non erat possibile. Non enim nostra, sed Domini et assumptio nostra et sancti Israel regis nostri. Qui praevidens hominis casum simul quoque praeparavit remedium, dum, licet valde infirmis,*) tam sublimis tamen naturae condidit hominem, ut, quoniam necessum erat sic fieri ad redemptionem generis humani, ipsum quoque hominis factorem fieri hominem non dedeceret.

Et jam quidem monstratum est, naturale fuisse ex propria conditionis origine sive ab exordio homini, in unam cum Deo personam posse uniri. Quid vero de essentia divina aestimabimus? An et illi naturale ab aeterno fuerit, velle aut posse hominem fieri? Utique. Nam et hoc supra dictum est, soli divinae essentiae pro sui subtilitate naturaliter competere, ut, quomodo anima corpori infusa unam cum eo personam componit, ita Deus animae ac mediante anima corpori humano infusus una cum utroque persona esse possit. Idque semel pro nostra omnium salute divina miseratione factum novimus, et gratias agimus. Quod vero ipsa miserationis voluntas, per suam humanitatem succurrendi homini, Deo substantialis et naturalis ab aeterno extiterit, duplici pro causa dubium non est: primo, quia Deo nova voluntas ejusmodi non

*) vel: infirmae.

accidit — in Deum enim accidentia non cadunt —; secundo quia (17)
Deus naturaliter bonus, imo ipsa bonitas est. Cujus bonitatis manifestatio summa est ipsa, de qua loquimur, propter liberandum hominem suae exhibitio humanitatis.

Ut autem et ex scripturis haec nostra assertio testimonium habeat, non novam Deo post peccatum hominis hanc voluntatem incidisse, ut homo fieret, audiamus ipsam de se Sapientiam protestantem. Ejus enim vox apud Salomonem in Parabolis haec est: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio etc.* usque: *cum eo eram cuncta componens, et delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum; et deliciae meae, esse cum filiis hominum.* Ecce habemus Sapientiae ludum coram Deo ludentis sibique in operibus sex dierum complacentis, maximas vero delicias habentis, esse cum filiis hominum, nasci Emanuel, et cum homine conversari. Cum enim diligat Deus omnia opera sua, et laetetur in eis, nihilque eorum odiat quae fecit, majores tamen habet delicias, esse cum eis, quos ad imaginem suam creavit, angelis videlicet atque hominibus. At vero singulare privilegium hoc hominibus collatum est, quod ipsa Dei sapientia, sicut deliciata est, ab aeterno homo fieri dignata est. Nusquam enim angelos apprehendit; sed semen Abrahae apprehendit. Utque magis noverimus, sapientiae Dei dulces esse delicias, esse hominem propter hominem, ipsa incarnata hoc idem de se testificari dedignata non est. *Meus,* inquit, *cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui me misit, et perficiam opus ejus.* Ecce, in hoc uno dicto duo tenemus, et voluntatem esse patris, et delicias atque cibum esse ac fuisse filii ejus, ut homo cum hominibus conversaretur, propter opus Dei consummandum in nobis. Quae est autem voluntas, aut quae sunt deliciae patris ac filii, nisi bonitas ipsorum, spiritus scilicet connaturalis amborum? Itaque sicut naturale fuit homini ex prima conditionis suae origine, Deo personaliter posse uniri ac Deum fieri, ita quoque, imo valde excellentius, etiam Deo ab aeterno naturalis extitit et bonitas, qua id vellet, et essentiae subtilitas, qua posset homo fieri et cum hominibus conversari. Nulli vero hoc ex tribus personis competebat unigenito solo excepto, ne vel pater ingeniti nomen amitteret, vel duo filii in trinitate essent. Itaque, quod solum competebat, quodque nostrae salutis poscebat ratio, *Verbum* (18)
caro factum est, et habitavit in nobis.

Videamus etiam, qua via ad nos venerit. Non enim subito

hominem reperit vel de terra noviter plasmatum, qui non esset ex filiis Adam — hoc enim salutis nostrae ratio non sinebat —, vel de costa seu qualibet parte alterius hominis recenter in virum formatum; non quemlibet vel cujuslibet aetatis ex masculo et femina progenitum, non, inquam, talem vel talem, non sic aut sic hominem, sibi quem indueret, elegit. Horum enim quodque et personam geminaret, dum persona perfecta personam item perfectam indueret, essetque id potius hominem habere Deum, quam esse Deum, itemque, Deum habere hominem, quam esse hominem; et in utrosque habitus praedicaretur magis congrue quam natura, sicut in sanctis quoque angelis et hominibus, Deum habentibus vel a Deo habitis, quamvis in Domino Jesu excellentius. Dicuntur enim et ipsi dii, sed per habitum solum non etiam per naturam; dicuntur dii nuncupative et constitutive solum, non etiam per essentiam; sicut scriptum est: *Ego dixi, dii estis et filii Excelsi omnes;* item: *Ecce constitui te Deum Pharaonis;* dicuntur dii accidentaliter, non substantive. Et est multa differentia inter factos et dictos deos, vel specialiter uni alicui homini, verbi gratia Pharaoni, quempiam a Deo Deum constitutum, atque unum verum Deum et Dominum omnium. Non igitur quamlibet aliam, sed naturalem veniendi ad nos viam Dominus elegit, quatenus Deus homo et homo Deus non per habitum solum, quemadmodum aiunt, sed per nativitatis naturam diceretur et esset, quatenus ex nostro pro nobis cum adversario confligeret. Quod non ita esset, si, habens solummodo hominem, per ipsum quasi per instrumentum Deus pugnaret, et non ipse potius homo Verbum et Verbum humanatum unus pugnans et victor existeret.

Pro his ergo causis non subito sibi Deus hominem reperit, simul et, ne subito repertus phantasma putari posset; magis ve[illegible] naturali et consueta nascendi lege utens globos materni uteri nove[illegible] mensium spatio sustinuit, cunas, vagitus et caetera infantilia pe[illegible] currit, quatenus verus homo humanis necessitatibus probaretur, quem simul et miracula radiantia, Deum esse visum in carne manifestarent. Ad hoc ergo naturali via veniendi ad nos Dei sapientia uti dignante eligitur virgo de toto genere humano, specialiter vero de Judaico populo, specialius autem de domo David, ad quem facta fuerat promissio: et nomen virginis Maria.

Haec naturae donis ab incunabulis perornata, dico autem castimoniae pudicitia, humilitate, verecundia, insuper donis gratiae prae caeteris omnibus mulieribus cumulata est, ut Deo digna sponsa

haberi posset; cujus et sponsa, Dei videlicet patris, tota gens Judaica (19)
saepe in prophetis vocata est, maxime quia de ipsa in fide unius Dei perseverantis ei secundum carnem filius esset nasciturus. At hujus gentis optima portio B. virgo Maria extitit, quae singulari privilegio ad hoc divinae generationis opus erat assumenda. Praemittitur igitur ad eam magnus ille paranymphus archangelus Gabriel, qui Virginis animum ad credendum singulare videlicet miraculum, simul et affectum ad obediendum praepararet. Ingreditur ad eam angelus et plenam gratia salutat, matrem fore in praesenti denunciat, filii nomen designat, quem magnum quoque futurum praedicat, et filium non terreni cujuslibet principis, sed filium altissimi nominandum; rege quoque eundem filium altissimi patris et virginis matris futurum praedicat, talis regni, quod finem habiturum non sit. Dumque miratur Virgo et modum facti inquirit, dicens: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* sciens nimirum ac providens, se sibi ad conceptionis originem non sufficere, quae virum non cognosceret, et non cognoscere decrevisset: respondit angelus, et dixit ei — sacramentum a seculis absconditum et nunquam ante auditum —, dixit, inquam, ei, per quem esset et qualibet supplendum, quod ei decrat in eo, quod virum non cognosceret, et non cognoscere decrevisset. *Spiritus,* inquit, *sanctus superveniet in te et virtus altissimi obumbrabit tibi;* quasi diceret: Tota trinitas implens te operabitur in te, ut nullum detrimentum in concipiendo sustineas ex eo, quod virum non cognoscis. Imo vero ex hoc ineffabiliter in prole nascitura ampliore benedictione donaberis. Ideoque, quia *spiritus sanctus superveniet in te, et* quia *virtus altissimi obumbrabit tibi,* fiet hoc, ut, quod nascetur ex te, quia de tua substantia sumetur, vocetur filius Dei; sicut Verbum quoque, Dei patris unigenitus, ex patre aeternaliter natum, ex hoc et in aeternum vocabitur filius tuus. Non tamen duo filii, sed unus.

Sed unde, ait quis, scire possumus, totam sanctam trinitatem incarnationem filii in Virgine esse operatam? Primo, quia, ut fides tenet ecclesiae, indivisa sunt opera trinitatis, et quia filius ipse de se testatus est, se non posse a semet ipso facere quidquam, sed, quidquid viderit patrem facientem, hoc et ipse similiter faciat. Sed et spiritus sanctus, sicut a semet ipso non loquitur, ita nec a semet ipso operatur. Quanto minus hoc singulare incarnationis opus filius et spiritus sanctus a semet ipsis adorti vel operati sunt, sed pater
his manens cum eis ac per eos fecit opera ipse. Deinde ex his (20)

ipsis angeli verbis palam est, sanctam trinitatem incarnationem filii in Virgine esse operatam. Quibus B. Virginem mysterii secretum edocens: *Spiritus,* inquit, *sanctus superveniet in te et virtus altissimi obumbrabit tibi.* Spiritus enim sanctus in Virginem superveniens ipse suo nomine appellatus est. Virtus vero altissimi Virgini obumbrans, ipse Dei filius est, virtus et sapientia Dei Altissimus autem, cui et filius nasciturus ex Virgine promittitur, dicente angelo: *Hic erit magnus et filius altissimi vocabitur,* itemque altissimus, cujus virtus Virgini obumbratur, ipse Deus pater est, ut tota trinitas sanctam incarnationem filii in Virgine intelligatur operata. Quod si virtutem altissimi ipsam propriam paternae majestatis virtutem intelligamus, quod videlicet ipse Deus pater propria subsistentiae suae virtute Virgini obumbraverit, et sic sanctae trinitatis operatio in unius personae, videlicet filii, incarnatione manifestata est, dum filius in carne concipitur, ipse se propria carne vestiens domumque sibi proprium corpus aedificans; sicut scriptum est: *Sapientia aedificavit sibi domum,* dum spiritus sanctus Virginem supervenit, dum pater sua virtute obumbrat Virgini. Et supernaturalia quidem sunt haec divinitatis in Virgine opera nullique intellectui comprehensibilia vel scrutanda. Caeterum B. Virgo omnem naturalem sui corporis usum conceptui inchoando et augmentando aliarum more matrum absque viri cognitione exhibuit. Verum quia naturalem novi hujus hominis ex Deo et ad Deum filiationem astruere nitimur, hic noster quoque ad naturalia paulolum*) concedat sermo necesse est, sic tamen, ut nihil tanta majestate loquatur indignum, nihil praesumat incongruum et a fide catholica alienum. Sicut noster ille adversarius, Follis-amarus, mentitus est, nos dicere vel dixisse, spiritum sanctum pro semine divino in B. Virgine fuisse, aut, ex semine spiritus sancti Christum conceptum et natum esse — hoc enim execrandum mendacium primo de ore illius contra nos et in nos mentientis exiit: et hujus mendacii pater ille est, antequam talia mentientem in nos.**) Deum testamur, nunquam haec blasphemiae verba nos ab ullo homine audivisse, ne dum talia diceremus. Et his pro hujus blasphemiae excusatione a nobis dictis coeptum de naturali filiatione hominis Christi ad Deum prosequamur sermonem, quantum tamen nobis, polluta labia habentibus, ad illud miraculum accedere conceditur.
(21) Ubi rubus ardens, sed incombustus, virgineae carnis cernendus est

*) sic ms. — **) *inaudiremus;* haec vel similis vox in ms. desideratur.

ab eo dumtaxat, qui primo Aegyptum reliquerit, ac deinde rationales innocentiae greges paverit, tertioque hos ipsos ad interiora deserti minaverit. Huic ergo soli Domino sibi primo apparente et visionem rubi ardentis ostendente transire licet ac propius accedere et visionem hanc†) magnam de prope videre, si forsitan et ipse caloris illius aliquatenus vel tenuem sensum percipiat, quo docilis efficiatur visionis illius magnae et singularis in Virgine completae, cujus caro virginalis et anima igne divini caloris singulariter arsit, sed combustionem non novit. Quis enim ignis ille est in rubo ardens nisi spiritus sanctus in Virginem superveniens? Spiritus enim sanctus est Deus; de quo scriptum est: *Etenim Deus noster ignis consumens est.* Ignis ille divini amoris incendium est, vehementer animas afficiens; quem non omnium etiam valde spiritualium experiri est, sed eorum tantum, per quos insignia aliqua ad ecclesiae utilitatem Deus operari intendit. Per quem autem unquam tale quid factum est aut fiet, quale est illud singulare incarnationis Verbi opus? Quod sicut semel faciendum erat et semel factum omnibus seculis sufficiebat, ita singularis magnificentiae impendiis indigebat.

Nullus itaque unquam sanctorum angelorum vel hominum hoc privilegio amoris Dei inflammatus††) est, nullus adeo torrente divinae voluptatis potatus et inundatus, quomodo haec singularis femina, quae Deum Dei filium erat in carne paritura. Et ignis quidem ille divini amoris cum naturaliter super omnia suavis sit — pax quippe illa Dei exsuperat omnem sensum —, tanta tamen inundatione in Virginem supervenit, quod sanctam illius animam torrens ille divinae voluptatis a carne secum abstraxisset, nisi virtus altissimi eidem obumbrasset; nimirum per ipsum corpus, quod sibi ex Virgine assumpserat, filio matri umbram faciente, aut certe ipso altissimo patre ex eodem corpore filii aut alia, quam ipse solus novit, gratia sponsae suae unicae obumbrante, ne sancta illa anima de carne solveretur et opus incarnationis Verbi infectum remaneret. Etenim nisi altissimi altissima virtus eadem immensitate potentiae ad conservandum fragile vas virgineum usa fuisset, qua et spiritus sanctus immensitate ad infundendam gratiam usus est, fragile vas virginalis animae seu carnis subsistere non potuisset. Nam si propheta Daniel de se dicere in veritate potuit in visione: *Dissoluti* (22)
sunt renes mei et nihil in me remansit virium, quanto magis

†) ms. t. *hac.* — ††) ms. t. *inflamatus.*

tenellae Virginis complexio, nisi obumbrante sibi virtute altissimi, inundatione illius gratiae dissoluta fuisset. Hoc ergo est, rubum virgineae carnis et animae superveniente in se spiritu sancto, qui nimirum divini amoris ignis est, vehementer arsisse, sed obumbrante eidem virtute altissimi incombustum permansisse. Parum vero dictum est, rubum permansisse incombustum; imo vero decor in ea ex tali talis ac tanti filii conceptione et partu multiplicatus est.

Haec autem, licet ore indigno et utinam vel corde digno, ad hoc diligentius exsequamur, ut ex naturalibus vel potius supernaturalibus operationibus Dei naturalem filium Dei Dominum Jesum etiam secundum carnem, quatenus possumus, ostendamus. Quis enim generationem illam enarrabit? quis eloqui sufficeret: Quomodo corporatur Verbum? quomodo summus et vivificator spiritus intra uterum Virginis animatur? quomodo, qui erat creator, fit creatura? Sed hoc solum, utrum ex naturalibus et supernaturalibus causis naturales et supernaturales effectus, ostendamus. Naturaliter enim divina et humana natura in unam personam concurrere non potuissent, nisi una alterius capax, et altera alteri capabilis naturaliter extitisset. Insuper autem et via in unum coeundi naturas, ut diximus, naturalis electa est, quatenus is, qui nasciturus erat, totus Deus, totus et homo, totus filius Dei, totus et filius intemeratae Virginis existeret. Quid enim in hac conceptione non naturale, ut et Virgo, quae sui generis et sexus erant propria et naturalia, exhibuit, substantiam videlicet sui corporis conceptui inchoando et augmentando praebens, et altissimus pater Verbum suum immaculatum semen in cor et uterum Virginis misit, quod ibi a spiritu sancto cum immaculato et divinitus sanctificato materno sanguine in unum novum hominem conceptum est, qui virtute altissimi Virgini obumbrante in formam perfecti hominis confotus est? Aut numquid Deo spiritus sanctus aut virtus sua altissimo connaturalis non est? Non enim hic se ulla angelicarum virtutum interposuit, sed naturali virtute itemque naturali et consubstantiali sibi amore altissimus usus est, sancto videlicet spiritu, ut sibi naturalis quoque et consubstantialis filius Deus homo et homo Deus nasceretur. Unde et is, qui natus est, non filius spiritus sancti in Virginem supervenientis nec filius virtutis altissimi Virgini obumbrantis, sed *filius*, inquit angelus, *altissimi vocabitur,* videlicet de cujus spiritu et virtute conceptus et natus est; sicut in naturalibus quoque nemo filius amoris aut virtutis patris sui dicitur, sed ejus potius, cujus amore et virtute fit, ut concipiatur. Sed et conceptionis voca-

bulum, sicut in naturalibus, ita in ista quoque divina generatione proprietatis suae etymologiam obtinet. Conceptio namque in naturalibus ex eo vocabulum sumpsit, quod duarum personarum sanguines in unum concipiuntur. Hic vero Verbum Dei mirabili dignatione cum substantia virginalis sanguinis simul in unum novum hominem conceptum est. (23)

Et sicut in naturalibus natus homo totus patris totus et matris filius dicitur, eo quod substantia ab utroque parente in conceptus originem sumpta utriusque voluntate et amore in unum concurrente procreatur: ita et Dominus Jesus totus, id est utraque substantia, filius Dei totus et filius Virginis agnoscendus est, eo quod Verbum Dei Virgo divinis affectibus intra suae animae et carnis domicilium accepit, tale quid in oratione dicens: *Osculetur me osculo oris sui;* item: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum,* et: *Veniat super me misericordia tua, salutare tuum secundum eloquium tuum;* idque, quod ex Virgine in conceptus originem sumptum est, spiritu sancto, qui divinae voluptatis est torrens, a Virgine separatum est. Quod vero diversorum generum substantiae in unam personam uniantur, in naturalibus usitatum est, si quidem quisque hominum ex anima rationali et humana carne subsistit, quorum unum corporea, aliud incorporea substantia est. Et sicut hoc est, ita Deus et homo unus est Christus. Sed istud miraculum invisum dici non potuit nec debuit, eo quod unicum filium Deus ex aeterno genuerit, quem unum semel incarnandum misit; nec alterum, sicut quem mitteret non habuit, ita nec mitti opus fuit. Sicut enim sol iste materialis toti mundo sensibili satis est, ita Dominus Jesus semel nobis natus et datus sufficit omnibus.

Sed objicere nobis solent, qui natalibus Christi secundum carnem divinis contradicunt, id quod in Job scriptum est: *Semel loquitur Deus et secundo id ipsum non repetit.* Semel enim loqui Deum est, eum filium sibi aeternum semel genuisse; quod quia secundo non repetit, non eum secundo, inquiunt, ut vos dicitis, venientem ad nos in carne genuit. Nam et patres hoc ipsum sentire videntur, in sermonibus suis dicentes: In caelo sine matre, in terra sine patre. Sed audiant, qui ejusmodi sunt, et alium prophetam dicentem: *Semel locutus est Deus, duo haec audivi, quia potestas Dei est et tibi, Domine, misericordia.* Audiant, inquam, hoc et discant, in semel facta Dei locutione non solam illam aeternam ex patre Verbi genitam, sed et istam ex matre nativitatem esse com-

prehensam. Alioquin in semel facta Dei locutione propheta duo haec non audisset. Aeterna namque illa nativitas potentiae est, ista misericordiae. Per illam enim mirabili potentia cuncta de nihilo facta sunt — omnia enim per Verbum facta sunt —, per istam inaestimabili misericordia, quae perierant, restaurata sunt. Et magna quidem ineffabiliter illa potentiae dignitas est, sed ista misericordia †) dignatio minor illa non est. Suavis enim Dominus
(34) in universis, quoniam de nihilo fecit universa bona valde; sed miserationes istae super omnia opera ejus sunt, quia nostrae humanitatis fieri dignatus est particeps, ut nos divinitatis suae faceret esse consortes. Et vere mira circa nos ista divinae pietatis dignatio, qua, ut servum redimeret, filium tradere non dubitaverit. Quem utique mittens incarnandum non reliquit solum, sed pater in eo manens fecit opera ipse. Semper enim filius in patre, semper cum patre, semper apud patrem; qui videlicet pater, etiam una cum ipso et spiritu sancto operans, corpus aptavit ei, sicut scriptum est: *Corpus autem adaptasti mihi.* Itaque sicut aeterna Christi nativitas, ita et ista temporalis a Deo patre completa et patrata est; quia non minor ista dignatio illa††) dignitate est. Esset autem minor, si, quemadmodum aiunt, homo natus ex Virgine Dei patris unicus et naturalis filius non esset.

Hic autem et alius propheta contradicit: *Et tu Bethleem terra Ephrata nequaquam minima es in principibus Juda. Ex te mihi exiet salvator, qui sit dominator in Israel, et egressus ejus sicut a principio dierum aeternitatis.* Itaque et in isto egressu non sine Deo patre natus est, quia, sicut ille primus, ita et iste secundus egressus est. Testatur autem et hoc manifestius evangelium angelo dicente ad Mariam: *Spiritus sanctus superveniet in te et virtus altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei;* item angelus ad Joseph: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est.* Hinc Joannes Baptista: *Qui de coelo venit, super omnes est.* Adventus namque filii Dei ad carnis praesentiam referendus est. Nam secundum divinitatem Verbi et ante *in mundo erat et mundus per ipsum factus est.*

De caelo igitur secundum carnem venisse dicitur, quod conceptus et nativitatis suae originem caelestem et supernaturalem

†) misericordiae (?). — ††) ms. bis t. *illa*.

habuerit. Unde apostolus, vas electionis: *Primus*, ait, *homo de terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis,* eo quod non secundum carnalis concupiscentiae fomitem, ex masculo et femina, sed ex Deo supernaturalem nascendi originem sortitus sit. Creavit autem Dominus et primum hominem mirabiliter de terra et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae. De masculo quoque subtractam costam formavit item mirabiliter in mulierem: et habebant ambo Deum caelestem opificem. Nec tamen dicitur primus homo de caelo caelestis, sed de terra terrenus, ideo quod caelestis opifex Deus materiae in virum vel mulierem formandae nihil suorum naturalium, nihil propriae substantiae impenderit vel univerit. Ipsius enim factura, non natura vel substantia sumus. Hic vero, (25)
in Christo videlicet, ipsum Dei Verbum, ipsa virtus altissimi, ipse sanctus amborum spiritus impensus est, sicut ad B. Virginem dictum est: *Spiritus sanctus superveniet in te et virtus altissimi obumbrabit tibi.*

Et haec quidem naturaliter, imo vero supernaturaliter, quantum ad Deum, generationi caelestis hominis impensa sunt; Virgo vero naturaliter in conceptione et incrementum novi hominis, quod matrum est proprium, exhibebat absque viri coitu. Sed absit hinc longe phantastica humaniformiorum*) cogitatio. Deus enim spiritus est; et eos, qui de ipso cogitant, in spiritu et intellectu ferri et versari oportet, nec deduci ad imaginationes passibiles. Ipse enim impassibiliter amat, sine suae substantiae detrimento generat, inperturbatus nascitur, sine usu et motu membrorum operatur. Ipse enim sibi ad omnia se ipso satis est, quia et in aliis sanctis omnibus omnia, quae beatitudini conducunt, futurus est. Itaque divinae corporationis opus et Verbi incarnati vel incarnandi sacramentum, utpote nostro intellectui incapabile, recte Deo, cui soli notum est, opus suum reliquimus, ut secretum suum sibi sit; qui habitat lucem inaccessibilem, quem nullus vidit hominum nec videre potest. Sed et virginale sanctuarium et virginalis sanctuarii secretum, divinitatis factum habitaculum, recte inquisitionis nostrae manu non pulsamus; sed indiscussum relinquentes a longe salutamus et veneramur, si quidem porta haec et introitus et egressus principis per eam nostro intellectui impenetrabilis est, eo quod clausum illud secretum sit nec vero nobis scitu necessarium. Solus quippe princeps novit portae illius aditum, quia ingressus et egressus est

*) Anthropomorphitarum,

per eam. Nos vero ne nostrum quidem ortum in uteris matrum, et quibus proportionum vinculis rationale nostrum sensibili et sensuali nostro unitum, et unde animam sortiti, videlicet utrum a Deo recens ex nihilo creatam — quae tamen major opinio est — an vero ex anima matris absque maternae animae detrimento, non quidem materialiter, sed carnaliter processerit informatum in uteris†) matrum puerperium, sicut lampas accenditur ex lampade, Deo tamen solo id operante, sicut scriptum est: *Qui finxit sigillatim corda eorum* (non enim hoc in voluntate vel potestate matrum est, ut animetur puerperium, sicut ne ipsa quidem conceptio in earum
(26) voluntate vel potestate sita est): hunc, inquam, nostrae conceptionis, formationis itemque ex rationali et sensibili in unum compactionis modum, aut unde sortiti animam nos, de nobis scire non possumus: et quomodo divinae incorporationis modum et efficientiam investigare praesumemus? Sunt tamen et quae nobis de nobis nescire non licet, videlicet, quod a Deo creati ad imaginem ejus sumus quodque caeteris animantibus conditionis munere praestamus i eo, quod rationales sumus, et, licet initium habentes, fine tame existendi careamus, quodque nostris usibus orbis a Deo subjectu serviat. Hoc, inquam, nescire nobis de nobis licitum non est, n nescientes pariter et ingrati gratiae Dei inveniamur, et dici conveni de nobis: *Homo cum in honore esset, non intellexit, et compa ratus est jumentis insipientibus et similis factus est illis.*

Similiter et in Dei rebus, in Verbi videlicet incarnati sacra mento sunt, quae fidei nostrae in incerto esse non liceat; sunt quae sapientibus solis reposita sunt et inquisitionem admittant, tamen disciplinate et sine praejudicio sanioris sententiae inquirantu Nempe generalis et catholica fides nescire non debet, Christum aeterno Deum ex Deo genitum, eundemque ex tempore a mat Deo patre auctore et operante, progenitum, ea videlicet auctoritat et operationis supernaturali seu divina efficientia, ut Dei pat unicus et proprius filius utraque substantia recte dicatur, huma scilicet et divina. Etenim etsi vulgus supernaturalium, quantu ad vocis proprietatem, ignarum est, in fide tamen ejus homo ill quem Virgo genuit, Deus verus est, nec aliud vel alius quam D patris unicus reputatur, salva tamen in eodem etiam humanae n turae veritate.

Similiter et B. Virginem Verbi Dei sive Dei genitricem ††)

---

†) ms. bis t. *in uteris*. — ††) hic in ms. nobis desideratur verbum e

item generalis vel catholica in populo christiano fides est, nemine dubitante, quod Virgo Deum et hominem genuerit, salva tamen in eo qui natus est utriusque naturae veritate in unius personae singularitate, sicut divina quoque Dei patris generatio hominem in Deum provexit. Unde Hilarius *(De Trin. l. IX. 38):* Homini, inquit, acquirebatur, ut Deus esset, et non aliud filius Dei neque aliud filius hominis; et qui filius Dei hic et filius hominis. — Unde glossa quoque illa in principium primae epistolae Pauli ex patrum sententiis et sensu sumpta; quae talis est: Tanta est, ait catholicus ille glossator, unio utriusque naturae, ut totum dicatur Deus, totum homo: et haec conversim de se praedicantur. — Quod non est in rebus hominum. Et haec est illa naturalis, imo, ut rectius dicam, supernaturalis unio naturarum in Christo, quam noster ille Follisamarus nescit, nosque de nostro reperisse et introduxisse mentitur, cum potius patrum sensu sit jam olim recepta et approbata. (27)

Neque vero personalem in Christo naturarum unionem nos et naturalem diffitemur, et e converso, sed eandem, quam naturalem sive personalem dicimus, insuper et supernaturalem confitemur, eo quod major vis divinitatis Verbi ad uniendum sibi hominem extiterit, quam animae humanae valeat esse ad uniendam sibi carnem. Unde et insufficiens est illa similitudo Athanasii dicentis: Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus. Alioqui totum Deus et totum homo non recte dicerentur, nec conversim de se Deus et homo praedicarentur, sicut nec corpus anima nec anima corpus esse recte dicitur, quae solum naturali eademque personali unitate unum sunt. Sed nec totum corpus nec totum anima recte, nisi forte per tropologiam, dicitur in naturalibus id, quod ex corpore et anima per unionem unum est.

Haec igitur sunt, quae inconcusse fides catholica tenet et tenere debet, Deum esse hominem et hominem Deum, eo quod Verbum caro factum sit et caro Verbum. Unde aiunt patres: Utraque Deus, utraque homo; utraque Deus propter suscipientem Deum, utraque homo propter acceptum hominem, et quia Dominus Jesus utraque substantia est primus et unicus filius Dei, sicut utraque substantia filius quoque Virginis est. Unde B. Virginem *θεοτόκον* dici debere a patribus Ephesini concilii decretum est. Sunt autem et quae sapientum inquisitionem admittant in his ipsis verbis, dum Deus homo et homo Deus dicitur, qualis videlicet illa praedicatio sit, utrum naturae de natura an personae de persona, aut personae de natura, aut naturae de persona, an vero in neutra

harum natura, sed habitus tantum praedicetur. Et sunt, qui extremam sibi hanc partem assumpserint, dicentes, in neutra harum naturam, sed habitum praedicari, ex verbis apostoli sententiam suam tuentes, ubi ait: *habitu inventus ut homo.* Quae tamen sententia apostolica duas interpretationes apud patres habet: unam, qua dicatur Deus hominem habere tanquam aliud a se, verbi gratia homo vestitus vestimentum, quod aliud ab ipso homine est; aliam, qua dicitur Dominus Jesus habitu, id est conversatione, inventus ut homo. Sed qui habitum extrinsecum quasi vestem Verbi interpretantur, sententia patris Augustini se tuentur, in libro LXXXIIII. Quaestionum verba apostolica taliter exponentis: Multis, inquit,
(28) modis habitum dicimus: vel habitum animi, sicut disciplinae perceptionem usu firmatam, vel habitum corporis, sicut dicimus alium alio validiorem, vel habitum eorum, quae membris accomodantur extrinsecus, ut cum dicimus aliquem vestitum, calceatum et hujusmodi. In quibus omnibus generibus manifestum est, in ea re dici habitum, quae accidit vel accedit alicui, ita ut eam possit etiam non habere. Hoc autem nomen ductum (est) ab illo verbo, quod est habere. Habitus ergo in ea re dicitur, quae nobis ut habeatur vel accidit vel accedit. Verumtamen hoc interest, quod quidam†) eorum quae accidunt vel habitum faciunt non mutantur, sed ipsa mutant in se integra et inconcussa manentia, sicut sapientia accendens††) homini non ipsa mutatur, sed hominem mutat, quem de stulto sapientem facit. Quaedam vero sic accidunt, ut mutent et mutentur, ut cibus, qui amittens speciem suam in corpus vertitur; et nos, cibo refecti, ab exilitate et languore in robur atque valentiam mutamur. Tertium genus est, cum ea, quae accidunt vel accedunt, non mutant ea, quibus accidunt, nec ab eis ipsa mutantur, sicut annulus positus in digito. Quod genus rarissime invenitur. Quartum genus est, cum ea, quae accidunt, mutantur non a sua natura, sed aliam speciem ac formam accipiunt, ut est vestis, quae dejecta atque deposita non habet eam formam, qua sumpus induta. Inducta enim membris accipit formam, quam non habebat exuta. Quod genus congruit huic comparationi. Dei enim filius semet ipsum exinanivit, non formam suam mutans, sed formam servi accipiens: neque conversus aut transmutatus in hominem, amissa immutabili stabilitate, sed *in similitudinem hominum factus* est, ipse susceptor verum hominem suscipiendo, et *habitu inventus*

†) quaedam (?). — ††) accedens (?).

ut homo, id est habendo hominem inventus est ut homo, non sibi,
sed eis, quibus in homine apparuit. Quod autem dicit ut homo,
veritatem exprimit. Nomine ergo habitus satis significavit apostolus,
qualiter dixerit: *in similitudinem factus;* quia non transfiguratione
in hominem, sed habitu factus est ut homo, cum indutus est ho-
mine, quem sibi uniens quodammodo atque conformans immortali-
tati aeternitatique sociaret. Non ergo intelligi*) oportet, mutatum
esse Verbum susceptione hominis, sicut nec membra veste induta
mutantur: quamvis illa susceptio ineffabiliter susceptum suscipienti
copularet. — His verbis, inquiunt, aperte innuere videtur Augusti- (29)
nus, Deum dici factum hominem secundum habitum. Qui et ipsius
incarnationis modum volens exprimere quaerentibus in IV. libro de
Trinitate *(c. XX. 31)* ait: Si quaeritur, ipsa incarnatio quomodo
facta sit, ipsum Verbum Dei dico carnem factum, id est hominem
factum. Non tamen in hoc, quod factum, est conversum atque
mutatum, sed carne, ut carnalibus congruenter appareret, indutum.
Ita sane factum, ut ibi sit non tantum Verbum Dei et hominis
caro, sed et rationalis anima hominis. Atque hoc totum et Deus
dicatur propter Deum et homo propter hominem. Quod si difficile
intelligitur, mens fide purgetur a peccatis abstinendo et bona ope-
rando. Item Augustinus in lib. de Trinitate: Deus filius Deo patri
natura est aequalis, habitu minor. In forma enim servi minor est
patre, in forma Dei aequalis est patri. Idem ipse ex sermone Do-
mini, ubi dicitur: *Non turbetur cor vestrum:* humanitatem Verbi
purpurae assimilans, quasi vestiatur rex, eadem purpura in rege
adoratur, exuta vero minime: Habitum, inquiunt,†) humanitatis in
Christo videtur induere. Item idem ad Petrum de fide: Dei filius
cum sit Deus aeternus et verus, pro nobis factus est homo verus
et plenus. In eo verus, quia carnem humanam suscepit et animam
rationalem. Item: Non aliud fuit illa Dei summi exinanitio nisi
formae servilis id est naturae humanae susceptio. Utraque igitur
est in Christo forma, quia utraque vera et plena est in Christo sub-
stantia, divina scilicet et humana. Item in libro contra Maximinum:
Cum esset per se ipsum invisibilis, visibilis in homine apparuit,
quem de femina suscipere dignatus est. Item in eodem: Nos
Christum Dominum verum hominem suscepisse credimus et in ipso
visibiliter invisibilem hominibus apparuisse, in ipso inter homines
conversatum fuisse, in ipso ab hominibus humana pertulisse, in

*) *intelligere* forte. — †) inquit (?).

ipso homines docuisse. Hilarius quoque in lib. de Trinitate *(l. X. c. 22 et 25)* ait: Quomodo Dei filius natus ex Maria est, nisi quod Verbum caro factum est? scilicet quia filius Dei, cum in forma Dei esset, formam servi accepit. Unum tamen eundemque non Dei
(30) defectione, sed hominis assumptione profitemur: et in forma Dei per naturam divinam, et in forma servi ex conceptione spiritus sancti secundum hominis habitum repertum fuisse. Non fuit habitus ille tamen hominis, sed ut hominis, neque caro illa caro peccati, sed in similitudinem carnis peccati.

His patrum nituntur auctoritatibus, qui habitum humanitatis in Verbo Dei adstruunt. Et bene utique habitum adstruerent, si affirmantes habitum veritati naturae non derogarent; sicut noster ille Follis-amarus: Utrobique, inquit, non natura praedicatur, sed habitus, cum vel homo Deus vel Deus homo esse dicitur. — Hi enim non essentialiter Deum factum dicunt hominem, sed dici Deum hominem, eo quod acceperit hominem, quia ipsa persona Verbi, quae erat prius†) sine indumento, hominem induta in ipso quasi suo vestimento inter homines conversata sit, nihil penitus ipsa mutata. Et est apud istos persona nomen tantum Verbi assumentis, non etiam assumpti in Deum hominis. Nec dicunt, personam ex duabus esse naturis compositam, sed personam Verbi in sui simplicitate manentem, his duobus, anima videlicet rationali et humana carne, vestitam. Apud quos ejusmodi locutiones: Deus est homo, et: Homo est Deus; Verbum caro factum est, et: Homo est filius Dei — non simpliciter, sed tropice verae sunt, vel secundum quandam determinationem eas veras, et non simpliciter veras dicunt. Tropi vero ipsorum sunt accidentia, vel accidentalitas, comitantia, et ratio consortii. Dicuntur autem accidentia, ubi non redditur praedicatum causae, ut si quis dicat: Hoc rationale est corpus, vel: Hoc album intelligit; talemque esse: Deus est homo, vel: Homo est Deus. Non enim, inquiunt, ex eo quod est homo est Deus, vel e converso, sicut: Hoc rationale est corpus. Non enim ex eo corpus, quod rationale. Comitantiam quoque dicunt, ut cum dicimus Deum super terram visum et cum hominibus conversatum. Hic, inquiunt, tropo comitantiae veritas est. Non enim Deus in sui natura visus est, sed homo solum, quo se Deus quasi vestimento induerat; sicut Parthenopaeum pictum dicimus, non quod pictus ipse fuerit, sed quia picta arma se comitantia habuerit. Similiter

†) ms. bis t. verba *quae erat prius.*

cum dicimus: Homo est omnipotens: Ratione, inquiunt, consortii vera est; quomodo et albedinem claram dicere solemus propter claritatis cum ea in subjecto consortium. Sic enim et homo omnipotens dicitur, non quod ipse omnipotens sit, sed quod omnipotentiae in Deo se assumente consors effectus sit.

Et his quidem tropis in naturalibus scolastice†) uti possunt; verum in supernaturalibus Domini nostri, id est Christi, non ita. Etenim cum dicimus, hominem illum Deum, vel e converso: nihil (31)
accidentale de Christo vel de homine illo assumpto seu Verbo assumente dicimus, sed id, quod natus homo in Deum ex spiritu sancto vel Deus in homine est, de utroque praedicamus. Neque praedicatum non ad causam redditur. Etenim etsi non, quia homo est, Deus est, tamen quia ille homo est, qui ex spiritu sancto natus est, Deus est. Qui homo etiam omnipotens recte praedicatur propter suam, id est sibi ex spiritu sancto innatam divinitatis omnipotentiam, et non propter eam, quae sibi cum Deo ratione consortii communis sit. Etenim omnipotentia non divinitatis consors in homine, sed potius ipsa divinitas est: et quodlibet horum, sive divinitatem sive omnipotentiam de homine praedicaveris, alterum praedicasti. Similiter, quotiens in praedicatione unum horum superposueris,††) alterum supposuisti. Etenim Deus hoc ipso uno, quo Deus est et quod Deus est, est totum, quod est, sive omnipotens, sive immensus, sive aeternus, sive essentialiter bonus, et quodlibet de Deo sive divinitate congrue et vere dicitur, hoc solo excepto, quod non divinitate, sed humanitate homo est; qui tamen homo divinitate omnipotens homo est, si quidem totus ille homo, et in eo ipso, quod est homo, de caelo caelestis est, utpote caelestem ex spiritu sancto et virtute altissimi obtinens nativitatis modum et causam.

Sed et qui determinationes apponendas vel subintelligendas censeant, hoc modo: Christus secundum divinitatem est Deus, secundum humanitatem est homo; vel: Homo secundum divinitatem est Deus, et, Deus secundum humanitatem est homo; item: Christus secundum divinitatem est filius Dei et non hominis, secundum humanitatem est filius hominis et non Dei. At nos non ita Christum didicimus, nec ab evangelistis, apostolis vel patribus ita fidem in Christum edocti sumus. Docet enim me Lucas evangelista, Christum et in ea substantia, quae de Virgine sumpta est, esse filium Dei.

†) scholastice (?). — ††) supposueris (?).

Praemissa namque supernaturali causa et conceptionis modo singulari ac soli Deo debito de spiritu sancto in Virginem superveniente ac virtute altissimi Virgini obumbrante, subjecit: *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Non dixit *qui*, sed *quod* nascetur ex te: ubi non ad personam tantum, sed ad naturae nostrae quoque substantiam filii Dei nomen pertinere non dubitemus. Apostolus quoque, vas electionis, in principio epistolarum
(32) suarum ad Romanos scribens docet me Christum secundum carnem filium Dei credere. *Paulus,* inquit, *servus Jesu Christi vocatus, apostolus segregatus in evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* Ac ne id impiae interpretationis nebulis fuscare quis valeat, quemadmodum dicunt glossam quandam sequentes Christum secundum carnem factum filium ei, id est Deo, ad honorem scilicet Deo, ut non secundum carnem filius Dei sentiendus sit, sed filius tantum factus ad honorem Deo: sequentia ejus verba hunc sensum non sinunt, quibus ait: *Qui praedestinatus est filius Dei in virtute.* Quid enim hic contradicat adversarius, non invenit, dum eum, quem filium Deo dixerat secundum carnem ex semine David factum, id est natum, subsequenter filium Dei praedestinatum in virtute asseverat; haud dubium, quin et id secundum carnem. Praedestinatio enim non ad divinitatem vel ad aeternam illam Christi ex patre genituram pertinet, sed ad humanitatem, qua non solum Deo, sicut aiunt, sed et Dei filius natus est, quemadmodum fuerat ab aeterno praedestinatus. Ac ne filium quidem Dei, sed adoptivum vel putativum, ut putabatur filius Joseph, aut per gratiam solum, non etiam per nativitatis naturam et naturae veritatem atque virtutem secundum carnem Christum putares, addidit *in virtute,* ut nihil utraque natura dehabeat eorum, quae filii naturalis propria sunt.

Nemo quoque dubitare sinitur, passionum in Christo et crucis ac mortis contumeliam ad formam non Dei, sed servi pertinere, in qua tamen et filium Dei proprium et Dominum gloriae ipsum esse idem apostolus Paulus affirmat. De patris namque ad nos dilectione loquens: *Qui proprio,* inquit, *filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum;* item: *Si enim,* inquit, *cognovissent principes hujus seculi, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.* Poterat dixisse: Nunquam filium hominis crucifixissent, et: Filio hominis non pepercit Deus, et: Filium Dei per adoptionem praedestinatum in gratiam, et: Filium Dei secundum divinitatem natum

filium hominis secundum carnem. Haec, inquam, vel alia in eundem modum dixisse et scripsisse apostolus poterat, si voluisset: et fidei, quae in Christum utraque natura tanquam in Deum haberi debet, proficere perspexisset. Nunc vero, sicut voluit et sicut debuit, locutus est, filium videlicet Dei Christum secundum carnem factum, et filium Dei in virtute praedestinatum, proprium filium Dei traditum, Dominum gloriae crucifixum, ut, de quibus apud homines humano sensu dubitari poterat, ea potissimum apostolicus sermo testaretur, dum et passiones Domino gloriae et filiationem Dei in virtute carni adscribit. Unus enim atque idem Dominus Jesus, filius . . . †) et hominis, et humana Deus passus est et divina homo peregit.

Differt autem plurimum inter passiones Dei hominis atque nostras. Nos enim, etsi nolumus, patimur et morimur; ipse autem passus est, non quia manus impia plagas inferre potuit, sed quia ipse ferre ac pati voluit *habens in potestate ponendi animam suam et iterum sumendi eam.* Nam ut taceam elementorum testimonia omnipotentis Dei et factoris sui morti condolentia: solem obscuratum, terram motam, petras scissas, quae omnia magnam potentiam, imo divinam ipsius morientis omnipotentiam in ipsa ejus morte testificata sunt; ut non dicam vulnera nostra livore ipsius sanata, morte ipsius mortis imperium dirutum, Tartara confracta, adversarias triumphatas potestates, praedam de inferis remeasse, multos cum resurgente resurrexisse: vel unum hoc omnipotentiae morientis testimonium satis est, quod ipso dicente: *Ego sum!* idemque secundo repetente comprehensores ejus semel atque iterum ceciderunt retrorsum in terram. Cujus etiam verbi potestate, quasi fulmine, semel atque iterum hostes ecclesiae percussi persecutores et haeretici jam olim ceciderunt vel ab impietate desistendo vel meritas in inferno poenas recipiendo. Qui ipsos quoque comprehensores suos eodem verbo poterat in infernum demersisse, nisi pati et comprehendi voluisset.

Itaque Deus humanitatis nostrae infirmitates ac passiones ipsamque mortem omnipotenter pertulit, sed non versa vice homo Christus Jesus divinitatis opera infirmiter peregit. Imo vero tam in passionibus quam in miraculis manifesta omnipotentiae signa radiabant. Unde manifeste palam est, divinitatis omnipotentiam ad hominem esse collatam, non autem Deum ad nostrae infirmitatis

†) Dei (?).

necessitates a sua virtute defecisse, sed propria voluntate nullaque necessitate nostras in se miserias et dolores, quantum dignatus est, et quatenus nostrae salutis ratio postulabat, et secundum quod homo est, admisisse. Sicut enim nostrae nativitatis et conceptionis originem natus in carne non tenuit, sed de spiritu sancto et de immaculata Virgine conceptus et natus absque peccato conversatus inter homines est: ita quoque non nostri corporis vel animae modo angores et dolores ex necessitate pertulit, sed plagarum vulnera et dolores nostros ipse in se pro nobis potius admisit, quam violenter illatos pertulisse putandus est. Unde inter ipsos dolores liber ab ipsis doloribus fuit: non quod in passione non vere do-
(34) luerit — sicut aliqui putabant S. Hilarium asserere —; *vere enim languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit!* sed passio Domini non pungentis teli vel clavi manus penetrantis aut inferentis ministri opus extitit, sed sui placiti, vulnera simul et dolores admittentis; quibus et ipsis non infirmiter succubuit, sed victoriose ad debellandum inimicum usus est. Et hoc ego esse non dubitem causam dicti apostolici, patresque idem in apostoli verba sensisse, quibus ait: *quoniam habitu inventus est ut homo.* Unde Hilarius *(X. 25)* in praemissis: Non fuit habitus ille tamen hominis, sed ut hominis, neque caro illa caro peccati, sed in similitudinem carnis peccati. — Etenim quamvis naturae nostrae in veritate consors extiterit, non tamen naturae nostrae necessitates, etiam quae praeter peccatum sunt, in se nostrae infirmitatis modo suscepit. Neque enim invincibili nostrae ignorantiae vel necessitati patiendi ullo modo obnoxius fuisse credendus est, habens, quod ex nostro, in quo pati potuerit, non etiam, quo nostrae infirmitatis modo passibilis extiterit. Et hunc quidem juxta apostolum et Hilarii sensum habitum ut hominis in Christo adstruunt, non tamen naturae humanae in ipso veritati contradicunt. Est et alia ratio, quare apostolo, similiter et secundum ipsum patribus, imo vero et ipsi Domino in se habitum naturae nostrae ac de se annunciari placuerit. Quin et ipse eundem naturae nostrae in se habitum pronunciavit dicens: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus; et qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem etc.* Dum enim carnem suam et sanguinem suum ad vitam aeternam manducari dicit, dumque animam suam se ponere et resumere ait, nostram sibi inesse naturam per habitum ostendit. Sed quid est, quod rursum ait: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me;* et: *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi;*

item, de muliere illa evangelica: *Mittens,* inquit, *haec unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit, et praevenit ungere corpus meum in sepulturam?*

Quid hic, rogo, sacramenti est, quod de eodem corpore vel carne loquens modo *suum* modo *se* dicit, nisi quia unus atque idem est loquens Deus et homo Dominus Jesus Christus? Qui si semper *se* carnem vel corpus, et non *suum* dixisset, transisse Deus vel mutatus in carnem putari posset. Si vero semper *suum* corpus vel carnem *suam,* et non *se* corpus vel carnem diceret, sic se habere hominem quasi vestimentum, quemadmodum Paulus Samosatenus et Nestorius dogmatizabant, et non ipsum esse hominem, sed neque hominem esse Deum, sed habere in se tantum Deum, suspicionem dedisset. Nunc vero, sicut debuit et sapientiam decuit, sic de se eadem sapientia locuta est, dicens, se habere, suumque esse corpus vel carnem, ut inter habentem et habitam naturam distinguas, nec alteram transisse in alteram vel unam ex duabus effectam existimes. (35)
Rursumque se corpus vel carnem dicit, ut unam personam ex duabus et in duabus permanentibus naturis non dubites, sicque hominem haberi a Deo, ut personae ejus essentia sit, atque ut ipse Deus homo sit, et e converso homo Deus sit.

Etenim et conversa in scripturis invenimus, ut est illud in Actibus: *Jesum vivum approbatum a Deo in nobis virtutibus ac prodigiis, quae fecit per illum Deus, qui pertransiens benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, quia Deus erat cum illo.* Quibus utique verbis habitus introducitur vel Dei hominem vel hominis habentis Deum cum illo existentem et per illum operantem. Rursum vero cum de hominibus, qui in scripturis dicuntur dii, ad se quoque hominem multo convenientius dicendum Deum argumentum sumit — jam†) enim solum homo habet Deum secum manentem, sed et ipse homo Deus esse ostenditur; sic enim habet —: calumniantibus Judaeis atque dicentibus: *De bono opere non lapidamus te sed de blasphemia, et quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum* —, subsequenter ipse de se homine respondet, nimirum ab aliis, qui puri ac solum erant natura homines, capiens argumentum: *Numquid,* ait, *non legistis in scripturis: Ego dixi, dii estis et filii excelsi omnes? Si enim eos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi scriptura; quem pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis quia blasphemas, quia dixi, filius Dei sum?*

†) non (?)

Etenim, ut notum est, omnis contradictio Judaeorum erat de homine. Quibus et versa vice ipse de se homine respondet, probans ex scripturis, per homines dictos deos se quoque Deum recte dicendum et credendum, quem pater in Deum sanctificaverit. Quid enim est, patrem ipsum in Deum sanctificasse, nisi, patrem ipsum in ea natura, de qua erat contradictio, in Deum genuisse? Alioqui, si, illis calumniantibus, quod se hominem faceret Deum, ipse Verbi aeternaliter ex patre geniti divinitatem astrueret, non ex opposito eorum calumniae obviasset. Igitur homo ille, qui ex spiritu sancto conceptus in Deum a patre sanctificatus est, non solum est vel erat Deum habens secum manentem, sed et ipsum
(36) esse ac fuisse Deum divina ipsius auctoritate probatum est.

Hoc ipsum autem et in agni nomine, quo humana Christi natura expressius significatur, quisque diligenter et pie considerans inveniet. Primum enim, quin agni nominatio ipsam in Christo humanam naturam a Deo habitam in humilitate significet? ut est illud Joannis, Christo testimonium perhibentis atque dicentis: *Ecce agnus Dei!* Est etiam, cum, eandem humanam Christi naturam in divinitatis provectam esse personam atque in omnem Dei profecisse virtutem, item agni nomine scriptura significet; ut est illud in Apocalypsi: *Agnus qui in medio throni est, reget illos;* item: *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem,* hoc est: dignus est agnus, homo videlicet Christus in humilitate passus et occisus, ut agnoscatur is esse, de quo scriptura ait: *Deus stetit in medio deorum;* item: *Deus ab Austro veniet,* hoc est: de spiritus sancti calore nascetur; item illud apud Isaiam: *Vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus.* Haec super illo, quod agnus non solum Dei, sed et Deus est; quod non solum a Deo habitus, sed etiam ipse se ipsum habens Deus est; habens quidem se per propriam et in natura hominis divinam ex Deo virtutem. Habitus vero idem agnus homo infirmus a semetipso Deus est, sed †) innatam Deo naturae nostrae humilitatem, patientiam et mansuetudinem. Itaque agnus Dei est, dum homo infirmus et parvulus inter homines nascitur, dum pro nobis in cruce mitis et mansuetus immolatur; agnus videlicet et Deus, se ipsum habens hominem, est, dum natus de spiritu sancto et Virgine est, dum natum in terris monstrat stella de coelis, dum reges natum muneribus mysticis honorant, dum miracula et virtutes in humanis cor-

†) secundum (?).

-poribus humanae vocis imperio perficit, dum mare siccis calcat vestigiis, dum moriens inferna concutit, dum ponens ipse animam, eandem propria potestate resumit, et surgens ad dexteram paternae majestatis ascendit, dum dona remittens tandem judicaturus adveniet. In omnibus his agnus Dominus noster Jesus Christus non solum agnus Dei, sed et agnus Deus est, unus atque idem ipse mitis et fortis, celsus et humilis, non solum exselsus et fortis in eo, quod est et erat ab aeterno Deus, sed et in eo, quod in tempore natus est homo.

Quiescite, ait propheta Isaias, *ab homine, cujus spiritus in naribus ejus; quia excelsus reputatus est ipse.* Quasi dicat indisciplinatis hominis hujus aestimatoribus, primo quidem Judaeis, faciem ejus reverendam conspuentibus et alapis mitem ac mansue- (37)
tum caedentibus, deinde haereticis, divinitati hominis detrahentibus: quae nimirum facies illa est, quam sub typo Judaeorum Moysi videre negatum est. Ipsi enim sola posteriora Jesu, id est formam in eo humanae infirmitatis, in qua passus est, contuentur, ejusdem infirmitatis virtutem ac majestatem ignorantes et — quod pejus est — scire nolentes, quam et usque hodie cum haereticis, atque haeretici cum illis detractionibus infidelitatis velant et obscurant, summo studio de hominum fide tollere cupientes, ne Christus in eo, quod homo est, divinae virtutis, potestatis ac sapientiae sit, ac ne unquam paternae gloriae inaequalitate consors esse potuerit aut possit. Sed arguit eos sermo propheticus, dicens: *Quiescite ab homine, cujus spiritus in naribus ejus,* hoc est, qui crucifixus adhuc vivit, *quoniam excelsus reputatus est ipse.* Sanctus enim sanctorum est, rex regum et dominus dominantium. Quiescite ab eo et vos, discoli scholastici et scholares, divinitatem ab homine illo, de spiritu sancto concepto et nato, mathematico intellectu, imo vero ethnico et Judaico sensu dividentes, *quoniam excelsus reputatus est ipse.* Nec putetis, patres orthodoxos aliquatenus sensui vestro favere in eo, quod habitum humanitatis in Deo adstruunt. Hoc enim faciunt, non ut hominem a Deo dividant, sed ut permanentiam utriusque naturae, divinae scilicet et humanae, in Christo adstruant; quod in ipsis B. Augustini verbis de habitu habitis agnoscere palam est. Cum enim post tres, quas de habitu distinctiones fecerat, quartam subjunxisset speciem, secundum quam ea quae accidunt mutantur non a sua natura, sed aliam speciem ac formam accipiunt, ut est vestis, qua dejecta atque deposita non habet eam formam, qua sumus, induta — induta enim membris

accipit formam, quam non habebat exuta — his, inquam, praemissis subjecit dicens, quod igitur congruit huic comparationi, et qualiter et quatenus congruat, subintulit dicens: Dei enim filius semet ipsum exinanivit, non formam suam mutans, sed formam servi accipiens, neque conversus aut transmutatus in hominem amissa incommutabili stabilitate, sed in similitudinem hominum factus est. Ipse susceptor verum hominem suscipiendo et habitu inventus est ut homo,
(38) i. e. habendo hominem inventus est ut homo, non sibi, sed eis, quibus in homine apparuit. Quod autem dicit *ut homo,* veritatem exprimit. Nomine ergo habitus satis significavit apostolus, qualiter dixerit *in similitudinem hominum factus.* Quia non transfiguratione in hominem, sed habitu factus est ut homo, cum indutus est hominem, quem sibi uniens et conformans immortalitati aeternitatique sociaret. Non ergo intelligi oportet, mutatum esse Verbum susceptibile hominis, sicut nec membra veste induta mutantur, quamvis illa susceptio ineffabiliter susceptum suscipienti copularet. His Augustini dictis pensatis palam est, ipsum non tam habitum humanae formae in Christo, quam divinae permanentiam naturae adstruere, sicut Boëthius quoque, permanentiam naturarum in Christo adstruens, similitudinem coronae adduxit ex auro et gemmis fabrefactae, qualiter ex duabus et in duabus naturis Christus sit. Non quod similitudo vestiti vel coronae ad exprimendam illam supernaturalem naturarum unionem sufficere putaverit. Si enim nec illa naturalis corporis et animae unio ad expressionem singularis illius unionis inter Verbum et hominem satis est, quanto minus illa artificialis, auri et gemmarum, vestimenti et vestiti unio sufficere arbitranda est. Unde et B. Augustinus asserit in praemissis non permutato Verbo, sicut nec membra veste induta mutantur, susceptione illa ineffabiliter susceptum suscipienti copulatum. Quae utique susceptio ineffabilis non esset, si aliqua similitudine naturalium vel artificialium sufficienter exprimi valeret.

Quod autem ne naturalibus quidem exprimi valeat, ex hoc patens est, quod, cum inter carnem et animam, quae diversorum generum, id est corporalis et incorporalis subsistentiae sunt, unio tanta sit, ut anima quoque, sicut aiunt physici, qualitates quasdam a complexione corporis trahat, ut est, melancholicos esse instabiles, metris componendis aptos, phlegmaticos animo quietos et maturos, sanguinolentos ingenio fervidos, laetos et amicabiles, cholericos item ingeniosos, sed irascibiles. Quod etsi ita est, non tamen excusabitur anima talibus motibus vitiose dedita. Possunt enim iidem motus

animae, divino auxilio implorato, etiam in bonum haberi, causis tamen eorum ex corporis complexione oriundis. Sed de his ipsi viderint. Nobis certe palam est, ex animae virtute corpus quinque sensuum fontes habere, ex corporis bona temperatura animae nonnihil profectuum accedere, sicut e contrario, corpore febriente vel alia valetudine decumbente, anima quoque sui vigoris esse non sinitur. Et cum sit, ut dictum est, tanta inter corpus et animam (39)
naturalis complexionis unio, ut qualitates suas, vitia quoque seu virtutes in alterutrum communicent, non tamen corpus anima, vel anima corpus recte dici valeat, sicut in illa supernaturali inter Verbum et carnem unione Deus homo et homo Deus, et totum homo ac totum Deus esse catholice sentitur et dicitur; unde apparet, naturalem quoque illam inter corpus et animam unionem ad exprimendam illam supernaturalem inter Verbum et carnem non sufficere: quanto minus quaelibet artificialis unio ad exprimendam illam singularem unionem sufficiens similitudo credenda est. Unde recte pater Augustinus ait: Quamvis illa susceptio ineffabiliter susceptum suscipienti copularet! ne putari posset, sufficientem sibi videri similitudinem adduxisse de vestimento et vestito ad unionem illam, de qua loqui gestimus, exprimendam, sed ad permanentiam tantum in summa unione naturarum significandam. — Et similitudine allata concludit dicens: Non ergo intelligi oportet, mutatum esse Verbum susceptibile hominis, sicut nec membra veste induta mutantur.

Videamus etiam, quid S. Hilarius de hoc unionis sacramento simul et permanentia naturarum sentiat. In libro namque X. de Trinitate *(c. 7)* sic ait: Nos, inquit, nati in hominem ex partu Virginis Dei sacramentum docuimus demonstrantes, secundum dispensationem carnis assumptae tum, cum se ex forma Dei evacuans formam servi accepit, infirmitatem habitus humani Dei non infirmasse naturam, sed salva divinitatis in homine virtute adquisitam esse Dei ad hominem potestatem. Namque cum in homine Deus natus est, non idcirco Deus natus est, ut Deus maneret, sed ut manente Deo homo natus in Deum sit. Nam et Emanuel nomen est ejus, quod est: Nobiscum Deus: ut non defectio Dei ad hominem sit, sed hominis provectus ad Deum. Ut conglorificari se rogat, non utique naturae Dei, sed assumptioni humilitatis hoc proficit. Nam hanc gloriam postulat, quam ante constitutionem mundi apud Deum habuit.

Ecce sanctus hic et venerabilis pater et habitum humanae infirmitatis in Deo adstruit, et tamen Deum natum in homine dicit,

ut habendo hominem Deus et homo esse credendus sit. Et habi-
(40) tum quidem humanitatis in Deo adstruit, ne transmutatus in hominem Deus videri possit. Natum vero etiam affirmat in hominem, ne habitus extrinsecus quasi vestimenti ad vestitum putetur, sed naturae humanae ad Deum per nativitatem agnoscatur assumptio. Similiter et hominem in Deum natum docet, ut, dum Deum hominem vel hominem Deum dici audieris, non praedicationem habitus tantum, sed et naturae utrobique intelligas. Quod enim Deus in hominem et homo in Deum natus est, naturale utrique naturae in una filii Dei esse persona necesse est, eo quod natura semper nativitatem consequatur. Addit autem, et glorificationem, qua se filius glorificari a Deo patre postulat, ad†) humilitatis formam postulare, et non gloriam quamlibet minorem, sed eam, qua Deus de Deo natus ante mundi constitutionem habuit, ut omne nostri temporis logicorum*) os obstruatur, tam nativitati quam gloriae divinae in homine assumpto contradicentium vel detrahentium.

Et miror, nostro illi Folli-amaro unde tanta praesumtio, ut primus fere ipse praedicationi naturae in his praedicationibus, cum dicitur: Deus est homo, vel: Homo est Deus, contradicat. Utrobique enim, inquit, praedicatur habitus, non natura. — Verum quod sine auctoritate certa et manifesta praesumitur, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Nos vero et habitum cum apostolo et patribus humanitatis in Deo confitemur, insuper vero et naturam nativitatem consequi non ignoramus, ut, ex quo Deus in hominem et homo in Deum natus est, ex eo Deus, filius videlicet Dei naturaliter homo, et homo in Deum per nativitatem virginei ex spiritu sancto partus assumptus, et naturaliter Deus sit; ac proinde non solum habitum, sed et naturam utrobique praedicari confitemur, cum vel homo ille Deus, vel Deus Dei filius homo annunciatur, sicut de uno individuo hominis loquentes non solum habitum, sed et naturam praedicamus dicendo: Hoc sensibile est rationale, vel: Hoc rationale est sensibile. Etenim hoc sensibile et habet rationalitatem, et ipsum nihilominus naturaliter et substantialiter rationale est. Itemque rationale, habens sensibilitatem, etiam naturaliter sensibile est.

Atque, ut breviter sensum meum aperiam, in omnibus naturalibus ego non puto similiorem locutionem inveniri ad eam, qua Deus homo vel homo Deus dicitur, ista, qua rationale sensibile, vel sensibile rationale praedicatur. Sicut enim sensibilitas et

†) *ad* praepositio aut excidat aut in *et* mutetur.

*) scholasticorum, de quibus supra.

rationalitas non oppositae ad invicem formae sunt, unde et incarnatione hominis uniri potuerunt et unitae sunt: ita ego de divinitate et humanitate sentiendum aestimo, quod non ad invicem oppositae formae sint; alioqui nullo modo in unam personam uniri potuissent, quemadmodum asinitas et humanitas nunquam in unam (41) personam valent sociari. Unde et ab oppositis argumentum vim obtinet; quia, sicut homo non est asinus, et e converso, non autem ita convenit dicere, si est rationale aliquid, ipsum non esse sensibile, et e converso, et: Si est Deus, non est homo, et e converso. Sunt enim differentiae istae seu formae non contrariae ad invicem vel oppositae, sed tales, quales dialectici dicere solent excedentes et excessas; quae et simul in aliquibus inveniuntur, in aliquibus vero invicem excedunt et ab invicem exceduntur. Etenim rationalitas et sensualitas cum simul in homine sint, rationalitas tamen sensualitatem excedat in angelis, quemadmodum ab ea ipsa exceditur in bestiis et jumentis. Similiter autem liceat nobis propter contradicentium importunitatem de divinitate, quae supernaturalis forma est, et humanitate loqui. Etenim et illae formae in uno Domino nostro Jesu Christo unitae sunt; sed divinitas humanitatem in patre et spiritu sancto excedit, non tamen quod aliud forma et aliud formatum sit: ipsa vero divinitas in omnibus, praeter Christum, hominibus ab humanitate exceditur. Etenim etsi sunt inter homines, qui recte dicantur dii, sicut scriptum est: *Ego dixi, dii estis:* nullus tamen praeter solum Dominum nostrum Jesum Christum naturaliter et substantialiter est Deus, quippe cui divinitas inest per diffinitionis formam. Etenim si requiras: Quid est Christus? recte respondetur: Homo Deus; quia†) de nullo habitu, qui tantum est habitus et non natura, dicere convenit. Omnes enim reliqui habitus in quale ponuntur et non in quid. Sic vero et de homine. Si quaeras: Quid est homo? recte respondetur: Animatum et sensibile rationale; aut certe: Animal rationale. Et rationalitas quidem dignior sensualitate est. Sed, cum de uno homine agitur, non est dicere: Hoc rationale eidem sensuali dignius est; eo quod una et eadem res uterque est. Similiter, imo vero infinite excellentius divinitas humanitate in omni virtute ac dignitate praestantior est; sed, dum unus atque idem Dominus Jesus utrumque naturaliter, i. e. per nativitatis naturam est, jam homo ille Deo minor et inferior non est, siquidem non Deo tantum conjunctus vel personaliter

†) quod (?).

solum corporis et animae in unum hominem unitorum similitudine unitus, sed essentialiter Deus est.

Videamus etiam, si est aliqua similitudinis hujus nostrae et per nos adductae cum sanctarum serie scripturarum concordia. Ex sanctarum quidem serie scripturarum, ex principio videlicet Geneseos notum est, primo die sub nomine lucis rationalem creaturam
(42) in angelis a Deo esse conditam; deinde in secundi ac tertii, simul et quarti diei operibus firmamentum caeli, mare et aridam, terram cum germinibus suis, insuper et luminaria caeli condita; quinto de aquis natabilia et volatilia animae viventis producta. Sexto die, animalia et bestias cum de terra produxisset, placuit adhuc conditori ex beneplacito sapientiae et bonitatis suae, hominem ad imaginem et similitudinem suam facere; quod et factum est, nimirum rationalitatis et sensualitatis formis in unam speciem adunatis. Et factus est homo, in altero angelis, in altero bestiis consubstantialis. Cui tamen inferioris naturae participatio angelorum societatem non impedit: si quidem ratio in ipso et non sensualitas dominium retineat. Insuper et omnis creatura sensibilis ejus ditioni servire a Deo constituta est, si factoris sui servum se ipse debita pietate recognoscat. Homine igitur, ut dictum est, sexto die condito atque in hoc opere mundialis fabricae completo, septimo die requietum a Deo est. Verum quia suae dignitatis homo privilegium non servans a Deo lapsus est, simul et quia in primorum sex dierum operibus nondum omnia sapientiae Dei opera ad praeordinatum finem fuerant perducta, rursum eadem sapientia in sex mundi aetatibus aliud operum suorum facere non gravatur exordium, ipsum hominem habens materiam operis, intentionem vero suam ad hoc dirigens, ut, quia gloriabatur diabolus consilium sanctae trinitatis impeditum, quod super conditione hominis habuerat dicens: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram,* siquidem amissa similitudine divinae sapientiae et bonitatis *comparatus fuerat jumentis insipientibus et similis factus est illis,* eadem sapientia Dei tamdiu ab opere suo non quiesceret, donec omne consilium suum de hominis conditione seu glorificatione praeordinatum effectu manciparet.

Igitur sicut primo die lucem separavit a tenebris appellavitque lucem diem et tenebras noctem: ita prima aetate mundi filios tenebrarum a filiis lucis distinxit, filios benedictionis a filiis maledictionis, filios Seth a filiis Cain segregavit; quos scriptura Geneseos filios Dei et filios hominum compellans quasi lucis et tenebrarum

nominibus divisit, quodammodo diem appellans filios Seth, et filios Cain noctem. De his enim scriptum est: *Videntes filii Dei filias hominum etc.* Item, qualiter secundo die firmamentum inter aquas et aquas collocatum est, divisaeque sunt aquae, quae erant super firmamentum, ab his, quae erant sub firmamento, quod etiam firmamentum caelum appellatum est: ita secunda aetate facto cataclysmo arca inter medias undas pro firmamento posita est, celans intra se octo animas, per quas semen seculo servatum est. Tertio quoque die segregatis aquis in locum unum et apparente arida et germinante terra herbam virentem lignumque pomiferum paradisus plan- (43)
tatus est: ac tertia mundi aetate, segregatis amaris et amaricantibus hominibus, Deum vero non cognoscentibus, in unum impietatis studium, arida in his,†) qui unum et verum Deum colebant, in Abraham scilicet et posteris ejus apparuit. Ex quibus fructum fidei facientibus paradisus vivens ac rationalis plantatus est. Item, sicut quarto die sol et luna stellarumque luminaria in firmamento facta sunt, ita quarta mundi aetate gens eadem electorum in regnum excrevit, habens civitatem Hierusalem quasi lunam et in ipsa templum uni vero Deo dedicatum, auro fulgidum, per verae divinitatis cultum soli comparandum; habens quoque legem, geminae claritatis praecepta, quasi duo magna luminaria, continentem, prophetias quoque, quibus eadem gens atque justorum ecclesia quasi stellis perornata est. Proinde, sicut quinto die pisces et volucria caeli de aquis producta sunt, ita quinta mundi aetate, gente eadem in Babiloniam deducta atque illic super flumina Babilonis sedente, alii eisdem fluminibus tanquam pisces immersi sunt, alii unius Dei cultum mente retinentes, tandem laxata captivitate, Hierusalem revolarunt, ubi et templum, quasi fidei suae nidum, reaedificare velut aves quaedam artificiosae studuerunt. Sexta die, ut notum est, animalibus diversi generis de terra productis tandem homo, propter quem machina haec caeli et terrae eorumque ornatus perfecta sunt, velut haeres ac dominus creatus est, ut ait scriptura, *in animam viventem.* Sexta vero mundi aetate, multiplicatis in terra bestialibus hominibus, secundum gentilitatis ritum diversis idolorum cultibus diversisque studiis deditis, Judaeis quoque quasi mundis et mitioribus animalibus in suis locis diversantibus, natus est legitimus haeres ac totius creaturae dominus Jesus Christus, non quidem, ut primus homo, factus in animam viventem solum,

†) ms. bis t. *arida in his.*

sed, sicut ait apostolus, *in spiritum vivificantem,* id est mortuos vivificare potentem: nimirum caeteris hominibus, insuper vero et angelis, quasi rationalibus volatilibus, ampliore dignitate praelatus, quia primus homo bestias ac caetera omnia animantia rationis dignitate supergressus est. Illius enim potestatis non erat, ne minimas quidem corniculas vivificare. Unde ad distinctionem hujus
(44) novi hominis in animam tantum viventem factus dicitur, cum rationalis animae†) majori laude factus dici potuisset. Iste vero novissimus etiam homines vita non solum animali, sed et spiritali, insuper vero et angelos una cum hominibus in aeternum beatificare et vita aeterna donare potens est. Unde et ss. patribus Ephesini concilii placuit, carnem Verbi vivificatricem debere dici juxta verba ipsius veritatis dicentis: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Unde apparet, carnem quoque Verbi divinae potestatis et efficaciae existere. Etenim vivificare animas solius divinae potestatis est. Idque ego aestimo maxime esse spiritaliter carnem Christi manducare et sanguinem bibere, videlicet pie ac veraciter credere, quod eadem manducata et sanguis bibitus, itemque caetera ecclesia††) sacramenta, ejusdem sanguinis vivifica aspersione consecrata, vitam aeternam conferre per unitam carni personaliter et supernaturaliter divinitatem, potentia sint. Unde pater Augustinus de adorando scabello pedum Dei in expositione Psalmi: Nemo, ait, carnem Christi manducat, nisi prius adoraverit.

Videamus autem hujus secundi hominis ad primum hominem quandam similitudinem et in ipsa similitudine superexcellentiam. Similitudo namque in eo est, quia, sicut primum hominem rationalitatis et sensualitatis formae unitae perfecerunt, ex quarum una angelis, ex alia vero bestiis terrae consubstantialis est, ita secundus homo ipsa creatrice ratione et sapientia cum humanitatis natura unita perfectus utrique naturae subsistens natus est, ex uno patri et spiritui sancto, ex alio vero matri nobisque consubstantialis existens. Similitudo etiam in eo est, quod, sicut hominem quemlibet terrenum totum sensualem ac totum rationalem, totum hominem ac totum animal dicimus, atque haec de se conversim praedicamus, dicentes: Hunc hominem, hoc animal, et e converso. Hoc sensibile est rationale, vel: Hoc rationale est sensibile, ita, ex quo sapientia Dei, creatrix omnium, naturae nostrae in uno Do-

†) anima (?). — ††) ecclesiae (?).

mino nostro Jesu Christo unita est, dicimus catholice, vere ac proprie de Domino Jesu Christo, ac sine tropis loquentes: Hic homo Deus et sapientia Dei est, et: Deus hic homo est; vel certe indefinite de eodem tamen: Deus homo, et: Homo Deus est; vel: Ille homo Deus est, et: Verbum Dei Deus homo est.

Dicimus etiam catholice, vere ac proprie de Domino Jesu (45) Christo, quoniam totus Deus, totus et homo est; itemque neutraliter: Totum hoc Deus, totum et homo est; totus patri, totus et matri consubstantialis est; vel etiam: Totum hoc matri, totum et patri consubstantiale est: quamvis non ex toto quo est vel patri vel matri consubstantiale est. Ipse enim ens quoddam totum; non dico: totum integrum, vel universale. Neque enim Christus ex Deo et homine vel ex divinitate et humanitate, quasi partibus, constat, sed neque naturae, ex quibus est Christus, ulli rei subsistenti communes sunt: maxime cum et nullum subsistens personale in plura sui generis perfecta subsistentia dividi possit. Ens tamen ipse Dominus Jesus quoddam totum, sive illud naturale vel potius supernaturale aut certe personale totum dici melius convenit: idque totum ens Deus et homo est. Et est quidem Deus ex divinitate, homo autem ex humanitate, sicut ego animal, quod†) sum ex sensualitate, et homo ex humanitate; at vero in utroque Deus et in utroque homo est, sicut ego in utroque homo et in utroque animal sum.

Quod si huic assertioni putatur obviare illud Joannis Damasceni, dicentis: Quoniam Christus totus Deus, totus homo, sed non totum, inquit, Deus nec totum homo — quia non solum Deus nec solum homo: ego quoque in eodem sensu eadem verba quae ille respuit respuo, posita videlicet determinatione *totum* vel *solum* ex parte praedicati. Ubi enim sequentis illius praecedentis††) expositoriae determinatio est, etiam praecedentis illius, quae exponitur, determinationem esse convenit. Expositoriae vero, quae dicit, quia Christus non est solus Deus, determinationem ex parte esse praedicati, quis non videat? Unde praecedentis illius: Christus non est totum Deus — etiam ex parte praedicati esse oportet; et erit talis sensus: Christus non est totum Deus, hoc est, non totum dictum est de Christo, quod est in eo, quod dictus est θεος, quia non est solum Deus. Et hic sensus sanus et catholicus est. Alias vero Christus etiam totum θεος est, quia non solum Verbum assumens,

†) haec vox videtur abundare.

††) haec vox errato ex sequentibus irrepserit et delenda sit.

sed etiam id quod a Verbo assumptum est, id est perfectum illud nostrae naturae, ex anima rationali et humana carne subsistens, Deus est. Unde, ut B. Augustinus asserit, totum Deus propter assumentem Deum, et totum homo propter assumptum hominem. — Sic enim vere ac sine tropis de uno quolibet homine loquimur:
(46) Totum hoc rationale, totum et sensuale vel sensibile est; itemque sine tropis: Hoc rationale sensibile, et hoc sensibile rationale est.

Et ista quidem locutio inter omnes de naturalibus agentes ad illam supernaturalem: Deus est homo, et e converso, vicinius accedit. Nam ista altera: Animal est homo, et e converso, in eo dissimilior est, quod animal et homo generis et speciei proprietatibus se habent ad invicem; quia†), non ita inter Deum et hominem est. Differt autem et inter uniones naturarum, rationalitatis videlicet et sensualitatis in hominem, atque divinitatis et humanitatis in Christum in eo, quia nullum rationale ante subsistens formam vel naturam sensualitatis ab aliquo animalium ante subsistentium assumpsit: quin primo rationale et sensibile in hominis creatione sunt, in unione vero naturarum, divinae et humanae, in Christum; unus divinae naturae subsistens, id est Verbum filius Dei humanae naturae subsistentiam sibi uniens in personam: non eam tunc de non extantibus novam condidit, sed de immaculatae Virginis substantia sibi per nativitatem divinam et humanam univit.

Et fidenter dico, in eo meliorem esse causam apud Deum hominis quam angeli, simulque facultatem exequendae causae humanae in ea praecellere, quia Deus angelo etsi naturaliter uniri potuit, siquidem subtilioris naturae Deus angelo est ac proinde angelicae naturae capabilis. Unde hodieque ac in aeternum divinitas angelos beatos tanquam naturalem sibi mansionem inhabitat. Sed habitatio illa accidentalis est, non substantialis. Prius enim angeli creati, deinde habitatio divina effecti; angelum tamen substantialiter et personaliter esse, divinitatis non est. Diversae namque inte(r) se personae, sicut divinitatis et angelorum, substantiali quoque differentia ab invicem distinctae, nullatenus sibi invicem substantialiter vel personaliter uniri possunt, verbi gratia, ut, quod Gabriel vel qui Gabriel est, ulla trium divinarum personarum esse valeat. Istud vero privilegium solius hominis est, ut ei Deus sive divinitas in una sui personarum naturaliter, substantialiter, imo et sic substantialiter atque personaliter uniri potuerit; quod et factum est in Christo Jesu Domino nostro. Et ne id, quod††) fieri potuisset,

†) quod (?). — ††) et ne id quidem (?).

obstante nimirum naturali rerum proprietate, qua non decet ipsum rerum conditorem subjicere vel confundere: non, inquam, fieri potuisset, ut Deus naturam nostram substantialiter ac personaliter, id est in sui substantia et persona assumeret, ita videlicet, ut Deus et homo et homo Deus, filius Dei filius hominis, et e converso, veraciter ac proprie dici posset, nisi per nativitatis naturam, quod (47) in virginali partu factum est, sibi hominem univisset: alioqui, si praeter nativitatis naturam hominem quispiam sibi univisset, vestitus potius hominem, quam ipse esse homo convenientius diceretur. Quia vero angelorum multiplicitas ex propagine generationis non provenit, ideo Deum personaliter et substantialiter unum fieri cum quolibet angelorum naturae ratio non admisit. Essent enim semper substantialiter ab invicem Deus et homo discreti, quamvis accidentaliter conjuncti: sicut Michael archangelus et apostolus Petrus Deo quidem uniti sunt, neütro tamen ipsorum Deo substantialiter vel personaliter existente. Et in eo, ut dictum est, causa hominum causae angelorum apud Deum potior est, quod hominem sibi Deus personaliter unire potuit, quod in angelo fieri impossibile fuit. Unde et homines per incarnationis sacramentum redempti sunt, angeli vero apostatae in suae praevaricationis casu derelicti, Deo nimirum corruptibilibus et ignobilioribus membris abundantiorem honorem tribuente in eo, quod homines apprehendit; angelos autem non apprehendit, quos et apprehendere naturae ordine non potuit ac proinde non debuit. Contra naturam namque agere naturae auctori non convenit. Mirabile tamen et stupendum, quod — et tam angelis quam omni creaturae cum gratiarum actione aeternaliter recolendum — in seminis Abrahae apprehensione a Deo factum est. In eo namque, quod unum sibi hominem seque homini personaliter univit, non solum naturae omnium hominum, sed angelorum ac totius creaturae naturis participavit. Habet namque aliquid commune cum omni creatura homo. Unde et minor mundus dicitur. Habet enim intelligere cum angelis, sentire cum animalibus, vivere cum arboribus, esse cum lapidibus. Unde et nato in terris Domino angeli debitas laudes in altissimis Deo personabant, eo quod in suae naturae consorte homine Deum substantialiter ac personaliter recognoscebant. Ipseque Dominus angelorum in praesepio collocatus est, rebus ipsis adhuc infans nobis quodammodo loquens, ad quantam rerum extremitatem pro nostra redemptione descenderit, dum et animali naturae nostrae participatione socius et insuper animalium cibus effectus est. Cui tamen

animali nostrae naturae consortium non disproficit, quin in gloria Dei patris eadem natura nostra assumpta una cum Verbo assumente sit; sicut nobis quoque corporeae naturae moles angelorum
(48) in gloria societatem non adimit, si tamen fide et moribus eorum consortio digni fuerimus, nimirum in hac interim vita, per gratiam fidei fermentati in unum: ut, licet ex tribus essentiis compositi simus, illic virtute et operatione aliud in nobis alio inferius non sit, potentia resurrectionis in simplicis creaturae gratiam nobis configuratis, ita et caelestes divinitatis theorias tam corporis sensibus spiritualibus effectis quam animae ac spiritus potentiis hauriamus, et, quolibet esse volumus in momento et ictu oculi, quam talibus†) spatia vel millia spatiorum transeamus, nullis nobis murorum aut quorumlibet solidorum obstantibus aut obstare valentibus impedimentis. Non quo corpora nostra (ut noster ille dictus et adhuc dicendus Follis-amarus de nobis mentitus est) aëre ventisque futura subtiliora dicamus; quod esset quodammodo dicere cum illis terrae sanctae olim detractoribus, *quoniam terra haec devorat habitatores suos.* Sed neque contrarium errorem incidimus, ut animalem illic vitam aut terrenas mille annis delicias nobis futuras promittamus; quod esset cum eisdem detractoribus dicere, *quoniam stirpem Enacim vidimus ibi.* Sed medium tenentes, corpora nostra illic ejusdem, cujus nunc sunt, naturae fatemur, sed alterius gloriae. Quae videlicet gloria qualis vel quanta sit, puto, in hac vita oculus non vidit, auris non audivit, et in cor hominis, id est humana sapientis non ascendit. Nam si apostolus, vas electionis, ad tertii caeli secreta et in paradisum raptus, illius vitae arcana per speculum se videre fatetur et in aenigmate, quia et ea quae illic audivit arcana verba non licere homini loqui arbitratus est, nescireque se ait, utrum illic in corpore an extra corpus fuerit: quis ea, quae ille vel non novit vel silendum putavit, nimium temerarius theophista loquatur? Etenim quod fidei nostrae non penitus incognitum de illius vitae statu esse debeat, videlicet sicut in Domini nostri a morte resurgentis corpore didicimus, quod januis clausis ad discipulos introducens incorruptibile simul et palpabile praebuit, duo haec quodammodo in eodem suo corpore contraria ostendens. Nam, ut ait B. Gregorius, necesse est corrumpi, quod palpatur, et non palpari, quod non corrumpitur: sed duo haec quasi contraria Dominus Jesus in semet ipso veluti lapis angularis exhibuit. In

†) quantalibet (?).

quorum uno, dum clausis intrat januis, nos invitavit ad praemium;
in altero vero, dum palpari se patitur, veri corporis formavit ad
fidem. Quasi contraria dixi; idque B. Gregorium sensisse, non du-
bito. Neque enim convenit, ut Dominus Jesus, qui pax vera est,
quidquam in se vere contrarium simul exhibuerit. Esset autem
contrarium, palpari et non posse corrumpi, si nostrorum more (49)
corporum idem Dominicum corpus omnimodis et usualiter palpabile
existeret atque visibile. Sed hoc evangelicae lectionis intelligentia
suspicari non patitur, dum totiens eum narrat discipulis apparuisse.
Etenim apparitionis verbum de nulla re dicere convenit, nisi quae
sui natura invisibilis et inpalpabilis est. Sic enim de angelis loqui
solemus, qui sui natura nobis invisibiles sunt, nisi ipsi voluerint
apparere. Apparuit Zachariae angelus; et multa in hunc modum.
Hoc ergo et de Dominico corpore sentiendum evangelica lectio nos
edocet, toties eum dicens discipulis apparuisse itemque, cum voluit,
ab oculis eorum evanuisse. At si noster ille Follis-amarus credit
Dominicum corpus more nostrorum corporum necessario palpabile,
dicat quoque, nostrorum more corporum ciborum sustentaculo egere,
clausa murorum obstacula penetrare non posse. At nos illud de
Domino nostro Jesu Christo a mortuis resurgente legimus, legentes
credimus, quod ad discipulos januis clausis introierit, atque ab eis
palpatus et visus sit, non quasi ex videntium et palpantium po-
testate, sed apparentis voluntate. Idque eo minus miramur in
Domino Jesu jam immortali facto, quoniam et adhuc mortalis
clausis virginalibus matris in hunc mundum ingressus est, sicut
clauso quoque sepulcro de hoc mundo legimus et credimus egres-
sum. Nec tamen ejus corpus aestimamus aut tunc phantasticum
extitisse aut hodie in immortalitate ventis aëreque†) subtilius
existere, haeresin hanc Manichaeis et Eutychianis relinquentes.
Neque vero comparatio talis placet, sicut B. Gregorio recte displi-
cuit, ut vel soliditas vel subtilitas caelestium corporum in immor-
talitate cum Christo manentium terrenorum corporum subtilitati
vel soliditati coaequetur vel praeferatur, eo quod nulla conveniens
visibilium ad invisibilia, corruptibilium ad incorruptibilia, aeter-
norum ad temporalia comparatio sit. Neque enim Domini corpus
taliter subtile credimus, ut more venti per patentes rimas inflaverit,
aut similitudine ignis, qui aëre ventisque subtilior est, per solidi
parietis poros illapsus sit, aut certe, quod soliditati aut firmitati

†) ms. t. *aereque.*

ejus adamantinae minoris soliditatis firmitas cesserit; sed ei, intus videri et esse voluisse, intus fuisse fuit. Et ne id, quod†) solum de Domino et ejus corpore credimus, sed et de nobis et in nobis futurum speramus. Sed quis hanc efficaciam caelestium et incorruptibilium corporum et efficaciae modum vel usum mentis ratione comprehendat vel aliqua terrenarum rerum similitudine
(50) digne, sicut est, exprimat? Vidimus tamen et in nobis miram velocitatem ictus oculi, velocem quoque diffusionem verbi prolati. Sed ne id quidem comparatum iri putem, eo quod obstacula interjacentium corporum utrumque praepediant. Nihil vero in nobis illi velocitati et efficaciae seu potentiae spiritualium corporum aestimo melius assimilari posse quam mentis nostrae velocissimum cursum et recursum, cui mille vel quantalibet stadia pro uno sunt et solidum murorum seu montium velut nihilum et inane reputatur. Quod vel ideo esse arbitror, quia sanctis illius regni, nostrorum locorum et temporum angustias aeternitatis infinitate supergressis, nostrarum angustiarum circumscriptiones, loca et tempora*) non pertineant, utpote in spiritualis amplitudinis latissima regione constitutis et nihil jam commune cum isto aëris, terrarum ac marium spatio vel obstaculis habentibus, cum tamen in eisdem nostris locis possint, cum voluerint, et ratio postulaverit ac Dominus permiserit, apparere, aut, si et ad eos nostrorum locorum spatia et situs pertinent, velocitatem animae ac spiritus, id volentis, eadem spiritualia corpora mira celeritate sequuntur, sicut nunc quoque motum animi praeeuntis corpore licet tardius in terra reptando subsequimur. Nec vero incredibilis††) esse debet in spiritualibus corporibus tam mira velocitas, cum in caelestibus corporibus, dico autem in firmamento, sole ac luna et stellis, tam miram quotidie velocitatem videamus, quippe, nisi qualibet sagitta seu turbine venti inaestimabiliter velociora essent, tam inaestimabilis amplitudinis circuitus**) unius diei et noctis spatio non consummarentur. Quod incredibile nimirum dictu foret, nisi usus quotidianus probaret. Et tamen etiam ipsa vera et solida, insuper vero et immensae magnitudinis corpora sunt, quae tam incredibili velocitate moventur, ut in nobis

†) ne id quidem (?).

*) ad eos forte omissum a librario, quod mox sequitur in consequente periodo.

††) ms. t. *incredibiles*.

**) loquitur auctor de motu improprio seu violento vel potius de proprio primi mobilis.

quoque talis, quam diximus, corporis velocitas veritati atque soliditati ejusdem corporis praejudicare non debeat. Nam si eorum velocitati conducit, quod, cum sui natura levia sint, in illo etiam summae puritatis aethere feruntur, ubi nulla eis aërea crassitudo resistit: quomodo non et nostrae velocitati conducet et corporum spiritualium levitas et ipsa spiritualis regionis magis, ut aestimo, intellectualis quam materialis puritas?

Sed haec ipsa in corporibus resurgentium potentia solida penetrandi, levitas quoque illa et mira velocitas parum adhuc aut nihil ad beatitudinem est. Unde et ex virtute resurrectionis tam malis quam bonis communis esse potest, sicut in angelis quoque tam malis quam bonis par velocitas, aequalis et potentia solida penetrandi est. Nam moveri ad Deum et in Deo pietatis et charitatis affectibus, ipsumque haurire spiritualibus corporis et animae sensibus, et eum in se non jüdicem ac vindicem, sed patrem habere ac sponsum, et quidquid salutare ac deliciosum desiderari potest:
id solum beatitudinis est; maxime cum et vasa nostra, anima scilicet (51)
et corpus, eidem visioni et inhabitationi Dei resurrectionis gratia et virtute praeparata et solidata sint, ut videre eum valeamus, sicuti est. Quid est videre eum *sicuti est,* nisi gratiae et sapientiae indeficientis plenitudinem indeficienter ac plene haurire? sicut nimirum aquilae in sphaeram*) solis irreverberata oculorum acie dicuntur intendere, videntes eum indeficienter ac plene, sicut ipse indeficiens ac plenus luminis est.

At nos interim in hac vita, sicut nec solem istum indeficienter ac plene cernimus, ita et sapientiae nequaquam, sicut est, sed raptim et utcumque contuemur, eo quod acies sensuum et intellectuum nostrorum nondum ad aquilarum caelestium, videlicet angelorum, soliditatem et puritatem pervenerunt. Placet autem et similitudinem videndi Deum *sicuti est* etiam a sideribus sumere. Nam cum sol fons ignis et luminis aetherei sit, a quo luna et stellae lucem suam ad exemplar specularis mutuant, si videndi sensum luna haberet, non tamen de ipsa dicere conveniret, quia videret solem *sicuti est.* Non enim plena puritate, sed quasi sordibus infecta nec indeficienter solem respicit, eo quod umbram terrae aliquando incidens luminis detrimentum sustineat. At vero stellae reliquae quoniam sublimitate et amplitudine circulorum suorum terrae umbram non incidunt nec sordibus infectae videntur, de his dicere

*) ms. *speram*, more illius aevi.

quodammodo est, quia videant solem *sicuti est,* eo quod indeficienter ac plene, unaquaeque tamen pro sui quantitate seu puritate, ab illo perenni fonte ignis et luminis, sole videlicet, lumen suum hauriat. *Differt enim stella a stella in claritate;* atque, ut apostolus affirmat, *sic erit et resurrectio mortuorum.* Unusquisque enim in suo ordine et prophetia. *Qui autem,* inquit, *docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.*

In quo et istam similitudinem stellarum cum resurrectione mortuorum convenire miramur. Quia, sicut stellae sive proprio sive alieno, quemadmodum de luna perhibent philosophi, igne ardent et lucent, idem eos†) ignis non depascit, sed, sicut perenniter lucent et ardent, ita quoque substantiae propriae quantitatem et vigorem indemutabili perennitate retentant: sic et resurgentium corpora corporea soliditate non carebunt, quamvis virtute Deo cohaerendi, velocitate quoque et potentia in momento quantalibet spatia pervolandi ac solida penetrandi ad angelorum aequalitatem ventura credenda sunt, igne nimirum divinitatis naturae nostrae integritatem consummante, quamvis vehementissime afficiente et illuminante. Et hoc in regno illo fidei in nobis divinitatis potentia simul et gratia
(52) eo minus mirabile nec aliquatenus incredibile est, quia in hac quoque vita quaedam animalia, ut salamandra, vivere in igne materiali probatum est. Sicut ergo stellae perpetuo igne ardent et lucent ac nihilominus in suae substantiae soliditate permanent; et sicut rubus ardens visus est et non††) consumi; et sicut in B. Virginem, matrem Domini mox futuram, spiritus sanctus, divinus scilicet ignis, supervenit, sed eidem virtute altissimi ad conservationem naturae simul et virginitatis perpetuitatem obumbratum est: ita et in resurrectione de nobis sperandum est. Unde et palpalbiles erimus per corporeae veritatem naturae et angelis similes per usum gratiae et effectum potentiae. Orietur enim nobis, timentibus Deum, sol justitiae, ut videamus Deum *sicuti est,* et fulgeamus *sicut stellae in perpetuas aeternitates, et sanitas in pennis ejus,* ut naturae in nobis corporeae veritas et soliditas non depereat. Alioqui, si corporis in nobis veritas cum suis sensibus deperiret, unde spiritualis paradisi delicias hauriremus, in nobis non esset. Nunc vero, sicut spiritus noster et animus tertio in caelo, qualecunque illud est, sapientiae illuminatione perfruetur:

---

†) eas (?). — ††) ms. bis t. *non.*

ita secundum corpus et ejus speciales sensus paradisi deliciis†) apti erimus, in paradiso quodammodo sensibiliter, imo vero supersensibiliter palpantes divinitatis praesentiam, in tertio vero caelo oculo intelligentiae simul et mundicia cordis fontem illum sapientiae limpidissime contemplantes, eadem tamen sapientia tam in paradiso sensibus quam in tertio caelo intellectibus et spiritibus proprias et differentes theorias distribuente singulis, prout vult. Unde scriptum est: *In domo patris mei mansiones multae sunt;* et: *Stella a stella differt in claritate. Ita et resurrectio mortuorum.*

Quod autem dixi sensibus corporis in paradiso et intellectu vel cordis mundicia in tertio caelo sanctos divinitatis praesentiam agnoscere, hoc theorice vel anagogice palpare et videre Deum est; juxta quod ait veritas discipulis suis, postquam resurrexit a mortuis, in medio, id est in communi eorum stans: *Palpate et videte.* Sensibus enim divinitatis praesentiam percipere, juxta illud: *Corpus non fornicationi, sed Domino, et Dominus corpori* —, hoc quodammodo palpare est; intellectu vero cordisque mundicia sapientiam immediate haurire, id quodammodo est oculo ad oculum videre. Et quoniam sensuum spiritualium perceptio solidior, intellectus vero perceptio liquidior est. Sicut in hac vita inter cibum et potum differentia quaedam est, cum tamen utrumque aequaliter bonum ac delectabile seu necessarium sit: ita in illa vita, sensu et intellectu vicissim vel simul theorice Deum agnoscere, hoc in regno illo ad sapientiae mensam manducare et bibere est, quemadmodum (53) ipsa incarnata sapientia suis promittere dignata est. *Vos,* inquit, *estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* Idque verae et inaestimabilis beatitudinis est, sic palpare et videre Deum, sic manducare et bibere super mensam sapientiae in regno. Sequitur autem et quod honoris est: *Et sedeatis super thronos duodecim judicantes duodecim tribus Israel.* Et haec erit, ut aestimo, in terra illa sanctorum duplex possessio, de qua scriptum est: *In terra sua duplicia possidebunt;* videlicet ad mensam sapientiae pro mensura cuique distributa delicias aeternas possidere, et insuper in sedibus judicum praesidere, pro eo quod in hac vita sancti amaritudinibus inebriati atque insuper contumeliis affecti sunt.

Quod autem quinque sensus corporis nostri, spirituales jam

---

†) ms. t. *delicii.*

effecti, ad illas aeternas et internas divinitatis delicias admittendi sint, quinque virginum sapientum ad nuptias intromissarum evangelica illa testatur parabola, quamvis eosdem quinque sensus non solum in corpore, sed et in anima, insuper vero et in spiritu beatificandos liceat intelligere, qui dum in tribus his, videlicet in corpore, anima et spiritu singuli geminantur, utpote duo sunt oculi, geminae quoque aures et nares, sed et gustus in duobus, id est in palato et lingua viget, tactus quoque in duabus manibus vel pedibus vel etiam duobus corporis lateribus seu partibus est, dextra videlicet ac sinistra; unde et illud est in evangelio: *Juga boum emi quinque,* quia decem boves cum sint, pro decem sensibus accipiuntur. Cum igitur, ut dictum est, quinque sensus per corpus, animam et spiritum geminentur, triginta omnes unius hominis sensus erunt. Quibus quasi triginta argenteis in fidei ministerium deputatis pium et salutare est emere Dominum Jesum, sicut impie ab iniquis triginta argenteis distratus et comparatus est. Etenim sicut Judaei triginta argentis†) datis Christum perimendum acceperunt, et sicut semet ipsos omnesque sensus tam corporis quam animae ac spiritus ipsorum, qui triginta numero sunt, ut Christum perimerent, prodegerunt dicentes: *Sanguis ejus super nos et super filios nostros* — unde et triginta maledictiones in Psalmo digestae super eos venerunt —: ita, versa vice, nos pie ac religiose Christum triginta argenteis emimus, omnes sensus corporis nostri animaeque
(54) ac spiritus, qui tres deni sunt, in obsequium fidei redigentes, ut Christum lucri faciamus. Sic enim et illi triginta argentei sive denarii, quibus Dominus impie venditus atque emptus est, tandem in opus pietatis impensi sunt empto ex eis agro figuli in sepulturam peregrinorum. Nos enim gentes, qui peregrini eramus a fide et hospites testamentorum, tanti aestimamus agrum Domini††) corporis et humanitatem Domini Jesu, figuli nostri, in quo omnes sunt thesauri sapientiae et scientiae absconditi, ut omnia nostra, omnes videlicet spiritus, animae et corporis nostri sensus, contra denos quasi triginta argenteos libenter impendamus, quatenus per ipsum in ipso requiem tandem obtineamus aeternam. Et mirum quidem non est, sensus nostros ter denos triginta argenteis, quibus pie Dominus Jesus emitur, assimilari, cum trecentis quoque denariis in evangelio parabolice assimilati sint, Juda traditore ex apostolatus merito mysterium fidei loquente. Super unguento enim in corpus

†) argenteis (?). — ††) Dominici (?). cfr. infra.

Domini misso sic ait: *Poterat unguentum istud venumdari plus quam trecentis denariis et dari pauperibus.* Hinc vir illustris Hieronymus: Sub praetextu, inquit, avaritiae mysterium loquitur fidei. Etenim nostra fides trecentis emitur denariis, id est decem sensibus, per corpus et animam et spiritum triplicatis. Haec S. Hieronymus in Commento super Marcum, breviter satis et obscure singulos sensus singulis denariis coaptans, credo, propter decalogum legis, cui iidem sensus in viro fideli subjecti sunt, vel propter multiplicem et perfectum eorundem sensuum tam in divinis quam in humanis rebus usum. Qui videlicet denarii sensuum cum ter deni per corpus et animam et spiritum sint, omnes numero trecenti fiunt; decies enim triginta vel trigesies decem trecentos faciunt. Jam vero si trecentorum denariorum summam computes, utique ad tria millia obolorum pervenire cognosces; decies enim trecenti tria millia perficiunt. Itaque in tribus gradibus sive limitibus sensuum nostrorum profectum vel statum considerare est, id est in deceno, trecenteno atque milleno. Primo enim quasi triginta argenteis pie ac religiose Dominum sive agrum Dominici corporis nobis in requiem sepulturae comparamus, jam dictos triginta sensus in fide S. trinitatis piae actioni mancipantes. Secundo trecentis denariis appreciatum unguentum in Domini corpus mittimus, dum eosdem sensus, in usum spiritualem redactos, contemplationi et ministerio verbi ad ecclesiae profectum impendimus, ut de nostro quoque (55)
studio dici conveniat: *Quoniam impleta est domus ex odore unguenti, et quia haec fecit, narrabitur in memoriam ejus.* Tertio vero ad millenarii perfectionem et quasi cubitum†) aeternitatis statum iisdem††) sensus nostri pervenient in eis, qui digni habebuntur regno illo, in quo filii Dei similes ei erunt, videntes eum, sicuti est, et cognoscentes, sicut et cogniti sunt. Et haec beatitudinis nostrae summa erit, sensus corporis nostri animaeque ac spiritus ad summae trinitatis perfectam et quasi millenariam cognitionem pervenisse. Hunc enim beatitudinis sensuum nostrorum cumulum ter millenarium apostolus ille, quamvis perfidus et traditor, imo spiritus per eum, sicut et per Caipham pontificem, loquens, innuisse videtur in eo, quod infinite ait: *Plus quam trecentis denariis.* Quamvis enim in trecentis denariis ter mille valeant intelligi, tamen, quia beatitudinis aeternae cumulus sub nullo certo numero valet redigi, ideo indefinita*) dictiuncula ipsum magis innuere, quam dicere convenit.

†) praestat *cubicum*. cfr. p. 56. — ††) iidem (?). — *) ms. *infinita*.

Erit autem et illic emtio quaedam. et ratio dati et accepti, cum nosmet ipsos omnesque corporis nostri animaeque ac spiritus sensus voluntariae divinitatis cognitioni et subjectioni impendimus, ut Deum et quae Dei sunt in eisdem sensibus nostris, quasi vasis, per resurrectionem innovatis recipiamus. Non quod prius demus nos et retribuatur nobis, sed quod Deo priore nos diligenti ultimo obaudiamus, diligentes ipsum propter ipsum, sicut ab eo gratis dilecti sumus. Hunc autem sensuum nostrorum tripartitum profectum vel statum etiam in fine prophetae Danielis angeli verbis expressum advertimus dicentis: *Beatus qui exspectat, et pervenit ad dies mille trecentos quinque.* Quamvis enim ista dierum quantitate illud beatum et acceptum tempus valeat intelligi, quod Dominus Jesus post baptismum suum praedicando et miracula faciendo nostrasque passiones et injurias perferendo, sed et crebrius discipulis post resurrectionem suam apparendo convescens in terris peregit, usque in diem quo *videntibus illis in caelum assumptus est;* qui fere tres anni fiunt et dimidius: non disconvenit tamen, eodem dierum numero, id est mille trecentis triginta quinque, etiam sensuum nostrorum tripartitam, ut praemissum est, justificationem, sanctificationem et beatificationem intelligere, quae nobis per eundem dominicae praedicationis laborem acquisita est. Millenarius
(56) namque dierum numerus sua multiplicitate simul et cubica sua perfectione beatitudinis sensuum nostrorum in regno futurae statum exprimit, quando singulorum tam corporis quam animae ac spiritus sensuum nostrorum multiplici ac stabili usu videbitur Deus *sicuti est.* Trecentis vero sanctorum, in praesenti vita contemplationi vacantium, quies exprimitur, quibus juxta signum T literae, eundem numerum exprimentis, *mundus crucifixus est et ipsi mundo;* qui cum Petro et apostolis orationi et ministerio verbi vacare adsueti sunt. In oratione namque crucis linea sursum tenditur, in ministerio autem verbi ad proximum dilatatur. Qua nimirum cruce sensibus eorum quasi trecentis armatis cum Abraham hostes devincunt, captivitatem reducunt, sed et cum Gedeon tubicinantes confractis lagenis et micantibus lucernis hostes in fugam vertunt. Triginta sane, qui conjugatorum proprius est numerus, juxta flexuram digitorum se invicem in hujus numeri significatione osculantium, ipse in fide sanctae trinitatis bene activos exprimit. Qui, triginta sensus suos per corpus, animam et spiritum prae actioni mancipantes, et ipsi beatitudinis aeternae efficientur consortes. Quod vero et quinque adjiciuntur huic numero, dicente scriptura: *Beatus*

qui exspectat et pervenit ad dies mille trecentos triginta quinque; ipse quinarius proprie sensus nostros exprimit, qui singuli per corpus, animam et spiritum geminati, per fidem quoque in actionibus pietatis justificati, per contemplationem vero et verbi ministerium sanctificati, in sapientiae quoque gustu ac divinitatis haustu beatificati simul ac divinitatis usui coaptati, recte numero praetaxato prophetico locutionis modo expressi sunt, eo quod in eisdem sensibus justificatis, sanctificatis et beatificatis tam multiplex, perfecta et stabilis beatitudinis nostrae possessio erit, sicut mille trecentorum triginta quinque dierum mysterio significatum est. Quid autem esse putabimus, aut quid mysterii continet, quod eorundem sensuum nostrorum in regno aeternitatis statum millenario triplicato in trecentis denariis,†) propheta vero simplo millenario dierum significare voluit, nisi quod††) iidem sensus nostri in unius divinae essentiae cognitione mirabili quadam unitione simplificabuntur, ut, licet ex tribus, corpore videlicet, anima et spiritu compositi simus, spiritu tamen, omnem sibi fere in nobis potestatem corporis et animae sensuum vendicante, quodammodo nos in corpore et anima sensuali esse nesciamus, majora tunc spiritu ex divina inhabitatione in (57) patria illa sua caelesti praesumente, sicut nunc in homine animali adeo sibi caro et anima sibi principatum vendicant, ut spiritus cum suis sensibus penitus absorptus nullam fere sui potestatem retineat, non tamen anima seu corpore illic in patria spiritus, sicut nec spiritu in patria ista carnis intereuntibus?

Etenim dum vita, quae Deus est, spiritum, spiritus animam, anima quoque in nobis carnem absorbet: non hoc agit vita et spiritus ille principalis, id quod in nobis est mortale absorbens, ut non sit, sed ut melius sit, de mortalitate in immortalitatem, de corruptione in incorruptionem, de animalitate in spiritualitatem translatum, quomodo si aurum, aes et ferrum, igni simul injecta, ignis candorem simul et urendi virtutem accipiant nullo ipsorum altero minus candente vel urente. Etenim Dominus illic non solum spiritui, sed animae et corpori unus atque idem erit. Unde apostolus: *Corpus,* inquit, *non fornicationi, sed Domino, et Dominus corpori.* Quodsi spiritui et corpori Dominus erit, atque ipsa Domino: quomodo animam ejusque affectus inhabitatam relinquet, pro qua duo haec extrema copulantur? Erit autem tale corpus illic, ut, dum†††) verum corpus quinque sensuum spirituali

†) ms. t. *denarii.* — ††) ms. t. *quodem.* — †††) ms. primo videtur tenuisse *cum.*

usu se sentiat, in visione videlicet visionum Dei, in auditu mellifluo carminum caelestium, in paradisiacorum affluentia odorum, in gustu super mel dulci, in suavitate attactus spiritualis omnem sensum superante — sicut anima quoque illic plenissime ac sanctissime suis in Deum et proximum affectibus viget; spiritus quoque divinis super apparitionibus et illuminationibus gaudet —, (ut)*) quodammodo tamen se homo caelestis in corpore esse nesciat.

Unde apostolus eodem, videlicet in tertium caelum et in paradisum raptus: *Sive in corpore sive extra corpus,* inquit, *nescio, Deus scit.* Nam dum in veris veri corporis sensibus est homo theoricus, et caelestis extra corpus se nescit; dum vero iidem sensus spirituales sunt et caelestes, non humanitus, sed divinitus vigentes, factus in spiritu esse se quodammodo nescit in corpore. Nescit se in corpore animali, terreno ac limoso; extra corpus quoque spirituale, caeleste ac theoricum se esse non scit, imo vero in corpore spirituali et ejus sensibus spiritualibus se esse non nescit. Et vere felix ignorantia, in se nescire corruptelae materiam, corruptionis miseriam, molem terream, sensuum animalium caenosam faeculentiam; substantiam vero corporis spiritualis et virtutum instrumenta in sensibus ejus spiritualibus et sensuum eorundem gratiam, usum et fructum in se non nescire, beatitudo est. Erit enim corpus nostrum in resurrectione vere corpus ad omnem spiritualium operationum usum, gratiam et effectum; sed ad molem terream, ad
(58) crassitudinem carneam, ad duritiem terreni corporis osseam, qualem nunc gestamus, ad accidentium instabilem varietatem, ut aestimo, tunc corpus non erit. *Fulgebunt enim justi tunc sicut sol in regno patris eorum,* videlicet in plena sapientiae et gratiae stabilitate ac stabili plenitudine, faeculentiam lunaris fuliginis, varietatem quoque augmenti ac detrimenti, in quo nunc laborant, supergressi. Possunt tamen iidem ipsi in vero suo corpore et in corporis ejusdem carnea crassitudine atque ossea duritia, cum ratio postulat ac Dominus voluerit aut permiserit, apparere iterumque ab oculis videntium evanescere, sicut in Domini corpore a morte resurgentis sumus edocti. Et breviter dictum sit cum B. Gregorio, quod sentio, esse videlicet corpora nostra illic ejusdem, cujus nunc sunt, naturae, sed alterius gloriae. Quae quidem gloria qualis quantave sit, omnes homines, etiam perfectissimos latere non dubito, quamdiu in hac mortali carne degunt. Oculus enim non vidit absque te, Deus, quae praeparasti diligentibus te.

*) haec vocula in ms. desiderabatur; eam sensus exigit.

Hoc tamen salvo invisibilium secreto juxta aliorum patrum sensum dixerim, ad usum et gratiam divinae†) inhabitationis corpora nostra illic spiritu inferiora seu posteriora non existere. Nam si in hac interim vita sanctorum quorundam, singulari gratia eminentium, adeo familiaris cum Deo Deique cum illis societas est, ut, cum in opus divinum suscitandi sunt, theoriae in eis divinae visitationis frequenter a corporis sensibus incipiant, sicque mediantibus animae affectibus ad spiritus illuminationem perveniant — unde est illud sponsae: *Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus* — si, inquam, per foramen, id est aperturam sensus parietis corporei, mediante unctione*) animae ac sensibiliter dulci quodam divinoque timore concusso††) ad spiritum theoriae illuminatio pervenit, ut taliter suscitata sponsa voluntatem simul et facultatem divina agendi dilectoque aperiendi percipiat: quanto minus in futuro regno, in tertio illo caelo seu paradiso caro sanctorum, in qua multifariam pro Christo passi sunt tormenta, quae vigiliis, jejuniis aliisque spiritualibus exercitiis castificata est, spiritui animaeque posthabebitur, quin potius una cum eis socialiter, imo unicae theoriae gratia perfruetur.

Hi denique sunt thesauri nostri suis thecis inclusi, sensus videlicet nostri trifariam per corpus, animam et spiritum seu mentem distincti, quibus apertius offerimus nunc†††) in ista vita Domino aurum, thus et myrrham. Aurum regale nostrum est judicium mentis aequum, sapientiae thesaurus et intimus divinitatis gustus. Thus nostrum est animae in Deum devotae affectus et pia atque (59)
lucida in proximum voluntas. Myrrha nostra est carnis nostrae a vitiis mortificatio et devotum corporis nostri in Dei et proximi rebus obsequium. Hos vero thesauros illic in regno simul omnes effundimus, omnes mentis nostrae animaeque et corporis spiritualis spirituales sensus, quasi thesaurorum thecam ad Deum et sanctorum angelorum atque hominum unanimem in Dei laudibus coetum apertos habentes, ut nostra offerentes in vasis sensuum nostrorum recipiamus, quae Dei sunt, in plenitudine sancta semper admirantes et a laude Dei atque implentis nos gratiae nunquam cessantes. Plenitudo enim illa sancta non affert satietatis fastidium, sed innovat semper sanctorum in bonos desiderium.

Quodsi et vicissitudo erit illic nunc de paradiso spiritualium

---

†) ms. t. bis *divinae*. — *) ms. *unt*. — ††) concussa (?). — *††) praestare videtur *tunc* sive *quam nunc*.

in spirituali corpore delectationum transeundi in caelum in spiritu divinissimorum intellectuum et illuminationum, atque iterum inde illuc, de tertio videlicet caelo, in paradisum retranseundi: talis utique vicissitudo omne fastidium in ipsa plenitudine tollere potens est, angelis nimirum illic ex hominibus factis, taliter cum innovatione desiderii ascendentibus et descendentibus super filium hominis. Etenim corpori nostro illic humilitati humanitatis Christi sociari nostra*) paradisus est; mente vero divinitatem ejus contemplari eique immediate uniri, hoc nobis tertium caelum erit. Scala vero, per quam ascensus ejusmodi ac descensus agetur a sensibus divinissimis ad intellectum item divinissimum, a paradiso ad tertium caelum, itemque descensus a tertio caelo in paradisum, anima media est, duo illa extrema conjungens; cujus divinissimis itemque humanissimis affectibus, quasi mediis gradibus, ascensus ille ac descensus peragetur, nunc videlicet homine caelesti paradisi quietem sensibus spiritualibus corporis spiritualis quasi noctis requiem affectante, nunc vero quasi per noctis quietem tertii caeli secreta et illuminationes divinas, quasi divinum opus, refectis in paradisi quiete sensibus repetente. Sed nox illa et quies paradisi tenebras nescit. *Nox enim illic sicut dies illuminabitur,* et nox illuminatio sanctorum in deliciis eorum erit. Nocte enim illa quasi per nubem lucidam spiritualium corporis sensuum apparentibus quibusdam theoricis imaginibus deliciosissime quasi somniamus, quae postmodo in tertii caeli secretis plena luce videamus. Sic Joannes apostolus,
(60) adhuc in carne positus et in Pathmos insula relegatus, quasdam visiones corporalium imaginum quasi nocte in paradiso deliciatus praevidit. Quare postmodo certas significationes intelligentia mentis, quasi in tertio caelo divinitus illuminatus agnovit. Sed: *Videmus,* ait item apostolus alius in paradisum et in tertium caelum raptus, *nunc per speculum in aenigmate,* id est in caelestium imaginum aenigmatica apparitione, *tunc autem facie ad faciem.* Et: *Nunc,* inquit, *cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum:* ne vel visionem specularem in scripturis vel aenigmaticam in imaginibus propheticis aut certe cognoscentiam paradisiacam in sensibus, quales nunc interim in sanctis per ostensiones divinas fieri solent, plenitudinem gratiae promissae arbitremur, sed quasdam primitias esse sciamus praerogatas, ex quibus tamen aliquatenus praenosci valeat, qualis illa plenitudo futura sit. Et scalam quidem

*) sic ms.

hujus ascensionis ac descensionis animam humanam diximus a terris usque ad caelos, a sensibilibus ad intelligibilia, a humanis usque ad divina pertingentem, latera vero hujus scalae hinc inde rationalitatem et sensualitatem ejusdem humanae animae nihil obstat intelligere. Etenim et sensualitas nostra in caelesti homine a terrenis incipiens divina et caelestia contingit, et rationalitas, cum caelestis naturae sit, humana et terrena disponit. Actor vero et operator hujus ascensionis et descensionis in nobis spiritus Christi et Dei est, de quo ait apostolus: *Qui spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt.* Non solum enim nunc, sed et multo abundantius tunc ejusmodi ascensiones atque descensiones, illos beatos in tertium caelum et in paradisum raptus raptuumque vicissitudines operatur unus atque idem spiritus. Qui et in ipsis raptibus pariterque in aeternis paradisi tertiique caeli mansionibus dividit singulis, prout vult. Totus vero ascensus atque descensus noster illic erit super filium hominis, nimirum ascendentibus nobis nunc ad majestatis ejus celsitudinem et cum desiderio contemplantibus eam, qua creati sumus, majestatem, nunc vero ad inaestimabilem et humanissimam ejus miserationis humilitatem pietatis†) affectu descendentibus eamque cum gratiarum actione deosculantibus atque ex ejus quinque aperturis vulnerum quavis jam perfectae satietatis aeternas paradisi delicias quinque sensibus nostris haurientibus.

Nec mirum, in regno et in aeterna illa beatitudine sanctorum ejusmodi ascensionum atque descensionum vices existere, ut gratiosior nobis semper ex humilitatis consideratione et fructu in Christo majestatis dignitas sit, et in majestatis dignitate humilitatis dignatio preciosior. Non ergo, inquam, mirum, illic in regno (61) ascensionum et descensionum super filii hominis majestatem et humilitate delectantium vices existere, cum et in tormentis malorum quasdam innovationum vices ex scripturis teneamus, nimirum eis ex aquis nivium ad calorem nimium transeuntibus. Sed nunc mihi non de tormentis malorum, sed de Domini mei Jesu Christi humili majestate et sublimi humilitate sermo est; quorum ego neutrum ab altero separatum iri posse arbitror. Nam etsi filius Dei Deus non ex aeterno homo extitit, nunquam tamen in se ipso humanitatis et humanationis affectu et humilitate caruit. Unde et justum est apud Deum, sed et apud nos tritum esse debet, hominem illum in divinae sublimitatis omni gloria existere, qui ab aeterno

†) ms. t. *pietati.*

filius Dei in virtute praedestinatus et in fine exhibitus est. Tam enim potens et justus est Deus Dei filius adeo aequandum †) patri suo in gloria hominem assumptum in persona, itemque uniendum sibi patrique in natura, quia pius et misericors ab aeterno fuit ad sociandum se nobis in persona atque ad uniendum se in natura. Unde, si negat Folmarus Deo hominem unitum in natura, ut neget quoque aequalem in gloria: prius est, ut Deum nobis neget unitum in natura nec sociatum et assimilatum in persona, sicque nec Deum vere hominem natum nec vere inter homines conversatum nec vere passum et mortuum nec vere in homine Deo Deum a mortuis resuscitatum aut ad caelos, ubi erat prius, ascendisse. Jamque exinanita est fides, abolita est promissio. Adhuc enim sunt in peccatis suis, qui ejusmodi errore tenentur irretiti.

Neque enim hominis cujuslibet sancti et justi, qui Deus natura non esset, quamvis Deus in illo esset, sufficere morte ad omnium hominum delenda peccata potuisset. Aut, si Dei filium nobis unitum in natura et assimilatum in persona non negant, adhuc autem passum et mortuum, insuper vero sepultum atque ad inferos in nostris descendisse pro nobis — in suis enim semper illic erat, dicente psalmista: *Si ascendero in caelum, tu illic es; et si descendero in infernum, ades* —: quomodo non et versa vice nostra natura in ipso ad dexteram Dei patris, id est in aequalitate et in potioribus ejus bonis, quae sunt, omnipotentia, omnisapientia, et in omni divinitatis gloria consedit?

Quaeritur autem: an iniqua pondera, iniquus modius et sextarius est aqud te, o tu, quicunque es hujus magister et auctor erroris, ne dicam haereticae pravitatis? Cur non eodem pondere eademque mensura, magis vero eadem aequitatis regula (nam et Deus immensurabilis est) Deo tua rependis, quia sua largitus est
(62) tibi? Quid ultra debuit facere tibi et non fecit, qui intra virginalis uteri angustias in propriam tuae substantiae formam descendit ad te? qui unus atque idem ipse in divinitatis humanitatisque persona conversatus est apud te, humanis docens te verbis et divinis radians tibi miraculis? Quid ignominiosius cruce? quid acerbius crucis morte? quid sepulcro humilius? quid inferno profundius? Pro te subire in tuis potuit, et non subiit? Cur ergo tardus es ad credendum, insuper vero impius et contumax ad contradicendum, quod is, qui sua in tuis ad omnem tui extremitatem humiliavit,

†) ad coaequandum (?).

tua in suis ad omnem sui sublimitatem non exaltaverit? Aut, quaenam alia est Dei ad nos descensio, nisi suae essentiae in nostri generis forma formaeque substantia ad nos et intra nos praesentatio? Alioqui, si non in nostris, nunquam Deus in suis super terram visus est aut cum hominibus conversatus. Deum enim in suis nemo vidit unquam nec videre potest. Sed nec in suis aliquando in mundum venit, sed semper in mundo fuit, *et mundus eum non cognovit.* Igitur Deum ad nos descendisse non aliud est quam nostrae naturae formam assumpsisse, in ea verum naturae nostrae subsistentem nobiscum conversatum esse. Qui enim in suis videri nobiscumque conversari non potuit, nostra sibi per nativitatem virginei partus ex Deo propria et naturalia fecit, ut, dum nostra jam non solum nostra, sed et sua propria et naturalia existerent, ipse in nostris jam suis videri a nobis et nobiscum conversari posset. Alioqui, si propria nostra et sua filii Dei jam propria non fuissent, ipse in nostris visis non vere ac proprie videri potuisset, sed quasi larvalem in se alienae imaginis speciem praetulisset: quia videre, ipsum videre non esset. Sic enim diceres homini habenti larvam: Tolle larvam, ut te videam. Non autem ita, si faciem hominis propriam corporalem videres, dicere conveniret, quamvis facie hominis corporaliter visa non totum quod est hominis visum sit. Etenim anima, quae est potior pars hominis, invisibilis†) est. Attamen visa facie corporali hominis totus homo visus est, quia et anima, licet invisibilis, in sensuum tamen corporalium, quos operatur, effectibus, et ipsa quodammodo videndi modo visa est. Sic ergo et de Verbi visione in carne et humanitate propria aestimandum est, qui videlicet ipsum Verbum in carne et humanitate propria visum in terris sit et cum hominibus conversatum. Etenim etsi carnem corporalemque ejus conversationem vidisse non totum quod est Christi vel Christi vidisse sit, eo quod Verbi divinitas in sui natura invisibilis est, ipsum tamen Verbum non solum in carne sua, sed et miraculis per carnem radiantibus visum est. Hoc ergo est Deum ad nos descendisse, Deum in nostris, sed jam suis nativitatis natura effectis super terram visum esse et cum hominibus conversatum esse. (63)

Videamus ergo versa vice, adjuncta justitiae regula et aequitatis libra, quid sit ascendere filii Dei ad patrem. Sicut enim descendere Dei ad nos non fuit aliud quam nostra sua per gratiam

†) ms. bis t. *invisibilis.*

simul et nativitatis naturam fecisse suaque nostris in se item per gratiam et nativitatis naturam communicasse: ita filii Dei ad patrem non aliud ascendere est quam nostra in se in dextra, id est aequalitate patris collocasse. Alioquin in suis ab aeterno propriis semper apud patrem fuit; nec ascendere in his ad patrem potuit, in quibus nunquam a patre abscessit.

Sed dicit mihi adversarius: Si descendens ad nos Verbum Dei, id est nostra per nativitatem sua faciens,†) versa vice sua quoque nostris in se communicavit atque homini assumpto propria fecit: homo ille in terris adhuc degens jam omnipotens fuit. In quo ergo ad patrem ascendere habuit, quippe qui jam in omnipotentia paterna existens, jam apud patrem fuit? A patre enim per filium sicut non loco, sed nostrae mortalis naturae assumptione recessum est, ita ad ipsum non loco, sed aequalitatis similitudine reditum est. At mortalitas nostra in filio, inquiunt, cum non necessitatis, sed voluntatis extiterit: et, si non actu et voluntate, potestate tamen idem filius, et in carne degens, jam immortalis fuit, ac proinde patri potestate per omnia aequalis extitit. Itaque, inquiunt, quo jam ascenderet, non habuit, eo quod aequalis patri per omnipotentiam, etiam cum esset mortalis, extiterit. Quomodo ergo, aiunt perjuri, quod resurgens a mortuis tunc demum sibi omnem potestatem in caelo et in terra datam dicit, cum et prius omnem potestatem habuerit? Aut quomodo illud apostoli: *Videmus Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum;* item: *Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen?* Quomodo enim propter passionis meritum datum est ei nomen, cum et prius per omnipotentiam rem nominis habuerit? Ad quod dicendum, quod omnipotentiam quidem et immortalitatis potentiam, etiam cum esset voluntate et actu mortalis, habuerit, sed sibi ac penes se, non etiam nobis; quia etiam potestate non moriendi si usus fuisset, sibi soli profuisset, non etiam nobis. Nec vero ex obedientia patris ire per mortem debuit nobisque, mortis suae obedientia et labore debito Adae soluto, apud se et patrem locum parare, ut iterum resurgendo veniret, et acciperet nos ad se ipsum, ut, ubi ille est, et nos simus. Quamvis enim in regno patris sui multae mansiones fuissent, nobis tamen nisi per mortem ejus debito Adae soluto credentibus in ipsum paratae non fuissent; sed sibi soli cum patre, ac post ipsum

†) ms. bis t. *faciens.*

et cum ipso angelis esse poterant, non etiam nobis, communes. At nunc per mortis ipsius obedientiam debito Adae soluto, et destructo eo, qui habebat mortis imperium, nostri acquisitione ipse, miserationis quoque suae inaestimabili decore indutus et coronatus est, sicut scriptum est: *Dominus regnavit, decorem indutus est.* (64)

Hujus vero coronae, quam sibi miserationis suae inaestimabili opere simul et nostri acquisitione paraturus erat, illa corona spinea signum fuit, qua eum mater sua synagoga in passione coronavit, sicut in Cantico Canticorum scriptum est: *Egredimini, filiae Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis ejus et in die laetitiae cordis illius.* Provocantur enim filiae illius *Hierusalem, quae occidit prophetas et lapidat eos, qui ad se missi sunt,* quae tandem et ipsum prophetarum dominum occidit, egredi de typico illo legalis observantiae umbraculo et vineae quondam dilectae tugurio, et videre regem Salomonem, verum videlicet, pacificum, Dominum Jesum, in diademate, quo coronatus est a nobis, gentibus quondam spinosis et peccatoribus — quia †) corona illa spinea, qua coronavit eum mater ejus synagoga, illa videlicet non credente in nostri misericordiam; provocantur, inquam, egredi filiae Hierusalem et videre regem Salomonem taliter a gentibus quasi spinea corona coronatum, si forsitan ad aemulandum etiam ipsae adducantur et convertantur, et sanet eos.††)

Opportuit autem et resurrectionis gloria post destructum morte sua indebita debitae mortis imperium, ascensionis quoque honore visibiliter coram idoneis testibus sublimari eum, per quem penitus omnis minorationis inaequalitas et inaequalitatis offensio, quae ei nostrae mortalitatis habitu inerat, inter ipsum et patrem dividens, de medio tollentur, quatenus reddito sibi apud patrem honore et clarificato apud eum claritate, quam habuit apud eum priusquam†††) mundus fieret, sciremus praecipue nos homines, qui eramus sine Deo in hoc mundo, credendum esse in eum tanquam in Deum, et ut credentes salvi fieremus in nomine ipsius, diligentesque eum tanquam vere salvatorem et Deum, idonei atque capaces refundendi ab ipso in nos spiritus sancti efficeremur. Ad hoc ergo visibilis illa ascensionis ejus ostensio ad homines facta est. Nam continuo, ut resurrexit a mortuis, in omni gloria patris erat, quemadmodum testificatus est ipse dicens: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.*

†) quae (?). — ††) eas (?). — †††) ms. t. *prius.*

Et prius quidem, etiam adhuc mortalis, omnem item cum patre potestatem habebat, scilicet judicandi impios, tam homines
(65) quam daemones, et perdendi eos ac dominandi super eos; salvandi vero homines, nisi precio redemtionis dato ac debito Adae soluto, nec ipse nec pater potestatem habebat, quia, ut hoc facerent, injustum erat. Omnis enim injustitia et iniquitas impossibilis est et esse debet apud Deum. Talis vero impossibilitas non infirmitati, sed potius majestatis auctoritati adscribenda in Deo est. At vero sanguinis agni immaculati precio effuso atque Adae soluto debito sicque rationali spiritu, videlicet diabolo, rationis aequitate superato — quem enim rationalem spiritum ipse considerat, non violentia, sed rationis aequitate superare debebat —: hoc ergo maximae suae obedientiae consummato opere data est ei omnis potestas in caelo et in terra, ut non jam solum dominandi super iniquos et judicandi atque perdendi eos, sed et salvandi eos, videlicet homines, potestatem haberet; quam videlicet salvandi potestatem ipse, licet omnipotens Deus, ab aeterno non habuit, donec eam humanitatis suae obedientia acquisivit. Data vero est etiam judicandi simul et salvandi potestas homini in Deum assumpto et nato sive Christo, filio Dei, in eo quod homo est; quemadmodum ipse confitetur dicens: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio, ut omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem;* item: *Et potestatem dedit ei et judicium facere, quia filius hominis est.*

Data igitur est filio Dei jam filio hominis omnis potestas in caelo et in terra: in caelo, ut patrem ad clementiam inclinet, angelos ad concordiam humanae societatis reformet; in terra, ut peccata poenitentibus condonet, daemones virtute crucis suae ab hominum seductione deterreat, et sic, juxta nomen suum, quod est Jesus, id est salvator, omnibus in se credentibus plenam et aeternam conferat animae et corporis sanitatem. Quod si pater ipso filio hominis in aliquo potentior esset, jam filio Dei in eo, quod filius hominis est, propter obedientiam consummatam omnis potestas data non esset. At, si hoc filio de se profitenti non credunt, spiritu erroris abducantur necesse est.

Quemadmodum et seducti et seducentes, errantes et in errorem mittentes dicunt, non generaliter de omni potestate divina hoc dictum, sed determinate de illa solum, quae homini conferri poterat, quemadmodum de ethnico ab ethnico dictum est: Omnia Caesar erat. Non enim hoc dictum est ideo, quod generaliter omnia Caesar existeret, sed quod determinate quasdam sibi principales dignitates

usurpasset. Sed has naenias perfidiae aures religiosae ferre quo-
modo poterunt? Atque utinam saltem impatienter audirentur, et
in angulis mussitaretur! Nunc vero et in scholis publicis docetur
atque in conventibus ecclesiasticis et coram episcopis impune cla-
mitatur, Christum in eo quod homo est et resurrectione et ascen- (66)
sione glorificatum ad paternae gloriae aequalitatem non pervenisse,
sed in quadam minore gloria, super omnes tamen angelos, existere,
nec ullatenus patri vel in potentia vel in sapientia aut in ullo
bono aequatum esse nec unquam aequari posse, afferentes in sui
sensus assertionem primo Athanasium in symbolo, quod frequentat
ecclesia, dicentem: Aequalis patri secundum divinitatem, minor patre
secundum humanitatem. Sed primo est, ut sciant, Athanasium hoc
non de suo, sed de evangelii fonte protulisse. Ad evangelicum
ergo fontem pariter cum Athanasio recurramus, ut ex dicendorum
causis et temporibus intelligentiam dictorum sumamus. Adhuc
enim mortalis jamque morti proximus, praemonens discipulos suos,
ne turbarentur in morte ipsius, sic locutus est: *Non turbetur cor
vestrum neque formidet. Audistis quia ego dixi vobis: Vado et
venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique quia ad
patrem vado; quia pater major me est. Et nunc dixi vobis,
priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis.* Ecce fons, unde
Athanasius hausit. Hauriamus pariter cum illo et nos. Aestima-
mus enim, Athanasium evangelica verba non in alienum sensum
detorsisse, sed in suo (?) sensu assumpsisse, quo a Domino prolata
sunt. Videamus ergo et pariter cum Athanasio ex causis et tem-
poribus dicendorum intelligentiam sumamus dictorum. Vere enim
tempore, quo hoc locutus est Dominus Jesus, adhuc mortalis jamque
morti proximus, minor patre erat, non quia, ut Ariani volebant,
secundum quod in principio apud Deum Deus erat, in quo eum crea-
turam aestimabant, sed secundum quod homo mortalis non solum
a patre, sed et paulo minus ab angelis minoratus†) erat.

Reddamus ergo suis dicta causis et temporibus, et de tempore, quo dicta sunt, simul et minorationis dispensatoriae circa dicta teneamus. Videamus autem, quid dixerit. *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad patrem, quia pater major me est, et semper, ut est, major erit;* sed, de praesenti tempore locutus, *quia pater,* inquit, *major me est.* Quae enim esset ratio gaudendi discipulis, eo quod ad patrem iret Jesus, si ad patrem iens minor

†) ms. f. *migratus.*

quoque illic apud patrem manens, ut tunc erat, esset futurus, cum major potius esset eis causa tristitiae, taliter eum ad patrem ire, eo quod sic iens et ipsos desereret et sibimet ipsi non proficeret? Igitur *ire filii ad patrem* sic nos oportet intelligere, ut ratio gaudendi discipulis eum diligentibus esse potuerit. Quam ego rationem gaudendi eis non aliam esse video, nisi quam et sermo nobis evangelicus offert dicente Domino: *Quia pater major me est!* ut hoc sit filium ad patrem ire in omnem paternae majestatis clari-
(67) tatem proficere. In quo autem ad patrem ire potuit, nisi in quo patre minor fuit? In quo enim semper cum patre unum fuit, in eo ad patrem non ivit, sed ibi fuit. In quo autem patre minor fuit, nisi in nostrae naturae per nativitatis nativam unionem suae jam factae substantia fluida, mortali, infirma, nostrasque in se infirmitates vere,†) licet voluntaria et ex potestate gerente? Alioqui ipse in nostris ad patrem non isset, nisi nostra jam sua per nativitatis naturam facta fuissent.

Sed ubi est, ais, pater, ut mansionem patris scientes mansionem quoque filii scire valeamus? Nolo a me quaeras hoc: supra me et super omnem intellectum scientia ista est. Quod si mihi non credis, crede ipsi filio dicenti: *Quoniam nemo novit filium, nisi pater; et nemo novit patrem nisi filius, et cui voluerit filius revelare.* Revelationis itaque divinae hoc opus est, non humanae; sed nec evangelicae facultatis aut intelligentiae. De sursum quaerenda est ista scientia, non a magistro homine vel angelo expetenda. Sed hoc solum de patris filiique cum patre mansione dicere possumus, quod ab oraculo apostolici pectoris, Paulo dicente, percepimus, *quoniam inhabitat lucem inaccessibilem pater; quem nullus hominum vidit nec videre potest.* Et ubi pater, ibi et filius; nec dimidius ibi est, sed totus.

Progreditur autem inquisitor curiosus, et dicit: Ubi est††) lux illa? aut, quis locus ejus? aut certe, qualis est illa lux? luci huic terrenae et materiali similis an dissimilis? — Et ista inquisitio supra me est; nec hujus temporis ista notitia, sed futurae gloriae est, quae, ut apostolus ait, revelabitur in nobis. Nolo quaeras a me, sed ab illo potius expetas et exspectes cum patientia, a quo solo revelanda est in nobis.

Nam si dixero, quoniam lux illa in tertio caelo est, iterum perstabit curiosus inquisitor: Ubinam tertium illud caelum, aut

†) ms. bis t. *vere.* — ††) ms. t. *ex.*

quale? inquirere. Cui si opinionem meam dixero, forte non satis illi est nec satis esse debet. Dico tamen de tertio ipso caelo simul et paradiso secundum opinionem meam, quod sentio. Paradisum quidem terrenam esse non dubito secundum scripturas, in qua primus homo positus est, terrenis bonis abundantem; sed hoc, quod ad spiritualis vitae, quae post resurrectionem corporum spiritualium agenda est, vel quae ad animarum sanctarum beatitudinem resurrectionis gratiam exspectantium, scire non valeo, nisi quod illius spiritualis paradisi, animas confoventis et corpora spiritualia resurgentium beatificantis, quaedam certa significationis umbra et similitudo est.

Porro spiritualis paradisus, in quam Paulus apostolus raptus est, non mihi videtur a tertio caelo, in quod item raptus est, loco, (68) sed gratiarum differentiis distare — quales nimirum differentiae esse possunt inter spiritualis corporis spiritualium sensuum suavitatem omnem sensum superantem et inter spiritus a Deo factam miram et ineffabilem ac beatificam illuminationem —, ut spiritualium sensuum spiritualis suavitas ipsa paradisus sit, mentis vero illuminatio mirabilis et beatifica a Deo facta ipsa tertium caelum sit.

De his si quaeritur, ubi sint, ego pro mea opinione respondeo, quod sentio, intra hujus mundi ambitum, imo et intra nos, intra creaturae rationalis minorem et spiritualem mundum esse. Sed mundi hujus legibus non includitur, non corporis animalis, non animae, non spiritus sensibus, (non)*) usucapitur aut tenetur, ut, quomodo nostrae facultatis est, oculis apertis lumen solis hujus haurire, auribus musicis concentibus delectari, naribus auras attrahere et suavitatibus odorum perfrui, gustus et tactus suavitatibus deliciari, ita nostrae facultatis et possibilitatis sit, illius regni delectationibus spiritualibus vel animae vel corporis sensibus perfrui, donec isti sensus in homine spirituali claudantur.

Illi vero sensus spirituales, quibus illa beatitudo haurienda est, Domino revelante aperiantur. Sic enim et apostolus Paulus, dum in via prostratus corporali visu ad tempus caruit, intus illuminatus Dominum vidit et audivit. Sic item in paradisum et in tertium caelum raptus adeo extra corporis sensus factus est, ut sive in corpore sive extra corpus**) nesciret.

---

*) haec particula negativa in ms. desiderabatur.

**) *esset* forte.

Quamquam et divinior in his verbis sensus latet. Vere enim sive in corpore et ejus sensibus sive extra corpus, id est in anima et spiritu et spiritualibus eorum sensibus, nulla talis virtus aut sentiendi facultas est aut esse scitur; quia spirituales illae deliciae paradisi vel tertii caeli divinum lumen hauriatur: sed Deus solus hoc scit, penes quem solum illius secreti pandendi facultas est quique solus idem secretum, cui vult, aperit, et nemo claudit, claudit, et nemo aperit. Hoc est, quod ait: *Sive in corpore sive extra corpus, nescio; Deus scit.* Nemo docente homine illud discit; nam solum Deo docente ac donante illud bonum discitur. Et nemo illud novit, nisi qui accipit. Nescit enim homo ad hujus boni primitias admissus et quasi ad portas paradisi coronatus, illius boni jucunditas unde veniat et quo vadat. Nescit, unde; nescit, quo suo merito; nescit, de qua ipsius boni plenitudine ipsum, quod accipit, veniat in se; nescit etiam, quo vadat, quod videlicet in se perficere intendat; nescit, ad quam plenitudinem rediens vadat. Non sensibus capitur, non opinione comprehenditur, non loco tenetur, non spatio dilatatur vel angustatur, non moenibus includitur vel arcetur. Sic et locus illius boni tertium videlicet caelum seu paradisus est. Etenim Deus, qui bonum ipsum est, ipse et locus suimet ipsius est. Manet enim in sese, nullius egens, sibi ipse ad omnia sufficiens. Qui cum nusquam per praesentiam majestatis absit, specialior tamen
(69) et familiarior locus ejus est rationalis creatura, ipsius capax atque ad imaginem ejus facta, atque inter eam adhuc illa specialius, quem†) ipsius in se notitiam per fidem simul et dilectionem retentat.

Quam et ipse per charitatem inhabitans ac dilatans, afficiens et illuminans, et in sui ac proximi dilectione floridam et fructiferam efficiens, paradisum*) interim ecclesiasticum ac caelum perficit, in quibus eum habitare non dedeceat. Cujus paradisi fons Christus est, splendores divinitatis ad nos mittens, calore suae dilectionis nos refovens. Nec praejudicat unum alteri, quominus Dominus Jesus unus atque idem fons paradisi ecclesiasticae simul et sol caeli spiritualis ac fons aetherii ignis ac luminis divini sit. Nam et psalmista eadem duo in unum conjungit dicens in gratiarum actione Deo patri: *Domine, apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen.* Etenim unus atque idem Dominus Jesus

---

*) vox haec huic auctori incerto usurpatur genere.

†) *quae* (?).

persona duarum naturarum existens humanitatis suae conversatione factus est nobis gratiarum fons, ex cujus quatuor fluminibus ecclesiae paradisus irrigata in quatuor cardinalibus virtutibus fructificat, divinitatis vero suae radiis nos illuminans nobis ipse sol verus est. Nec facile nosse valeam inter humanitatem Dei ac divinitatem hominis, in ratione meae salutis, quod horum alteri praehabendum sit, cum in uno ipsorum amplius diligendus, in altero vero amplius metuendus sit unus atque idem Dominus†) Jesus. Dum enim majestatis immensae tam inaestimabilem charitatem per humanae conversationis suae humilitatem mihi impensam adtendo; dum mortem et mortis cum acerbitate ignominiam pro me a tanta majestate susceptam considero : nihil hac charitate majus, nihil hac dignatione dignius, nihil hac miseratione dulcius invenio. Quanto enim Dominus meus pro me indigniora et abjectiora perpessus est, tanto preciosior, honorabilior et gratior mihi est. Dum vero versa vice perpendo humilis dignitatem, despecti sublimitatem, crucifixi majestatem, totus contremisco et expavesco cum illo, qui eadem Christi opera agonizantis considerans aiebat: *Domine, audivi auditum tuum, et timui; consideravi opera tua, et expavi.* Quid ergo amplius mirer ac venerer, in majestate humilitatem an in humili majestatem, non facile invenio. Sed dum utrumque commendatur ex altero in una persona Domini mei Jesu Christi, utrumque duplo commendabilius invenitur, quam si absque altero solum esset. Unde, si unam ex tribus in trinitate personis alteri praehonorare liceret, ea mihi esset duabus reliquis honorabilior, quae pro me indigniora perpessa est; quae mihi sua morte medicamentum salutis confecit; quae me de mortis et inferni faucibus, (70)
eodem ingressa, eripuit. Sed absit hoc a fidelium cordibus, ut gradus honoris fide sua, magis vero perfidia, in divinitate constituant. Nam quod mihi Domini mei Jesu Christi humanitas subvenit, ex ingenito sibi paternae pietatis fonte descendit. Sed nec a semet ipso ad hanc obedientiam, sed ex patris missione pervenit; simul et non absque spiritu sancto, *sed per spiritum sanctum semet ipsum obtulit sacrificium Deo immaculatum in odorem suavitatis.* Igitur sicut nulla trium in deitate personarum altera melior, sic et nulla ipsarum prae altera honore dignior est. Unde et una indifferens tribus latria debetur. Sed, qui Domino nostro Jesu Christo in eo quod Deus de Deo ex aeterno est latriam, in eo vero quod

---

†) ms. bis t. *Dominus.*

homo est ex tempore duliam seu meliorem speciem duliae deberet†) dicunt, recte pro suae infidelitatis errore faciunt. Existimant enim, quod et palam loqui non verentur, Christum in eo quod homo est nec Deum nec Dei filium existere, sicut et in eo quod Deus est hominem esse diffitentur.

Verum catholica ecclesia, quae palam confiteri a patribus didicit, nihil assumpto divinum, nihil assumenti humanum deesse, non sic dividit, sed potius indifferenter unam Verbo et carni adorationem in Ephesino concilio congregata constituit, aliter agentibus anathema indicens. Hoc vero anathema quidam ipsorum verentes incidere, de nova illa dulia homini Christo deferenda seu latria neganda nihil audent dicere, videntes nimirum, quodlibet horum dixerint, contra se dici. Nam si latriam Christo in eo quod est homo seu carni Christi negaverint, anathema contra eos stat; si vero deberi ei dixerint, contrarii sibimet ipsis erunt. In quorum professione homo a Verbo assumptus Deus non est, utpote dicentibus eis, nihil assumptum esse Deum. Item hominem assumptum nec potentia nec sapientia nec in ullo bono patri posse aequari, sed nec filium Dei patris unicum seu proprium ac naturalem eum dicunt. Unde Deum neutri profiteri audent, id est latriam assumpto homini vel deberi vel non deberi; recte in hac parte elingues effecti silent, utpote lingua indigni et in sorte linguarum seu loquentium non deputandi. Nam *omnis lingua confitetur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris.* Unde, quae non confitetur, lingua dicenda non est.

Aut vero quis sapientum pro lingua, quae digna sit auditu, censeat talia proferentem, qualia saepe dictus ille Christi et noster adversarius, Follis-amarus, contra natales Christi divinos simul et gloriam, quae illi apud patrem et cum patre una est, non loquitur, sed latrat? Aut, inquit, dabis patri ossa et carnem, aut ea filio in eo quod est homo detrahas necesse est, si eum in eo quod est
(71) homo Dei filium proprium et naturalem confiteris. Nam si naturalis est ei filius Dominus Jesus in eo quod homo est, in eodem quoque consubstantiari necesse est. Quod si ei consubstantiari in eo quod est homo non potest, in eodem profecto, ait, nec filius est; filiorum enim per omnia est similari ad patrem. Item: Si connaturalis Deo filius Christus in eo quod est homo non est, nec naturalis filius esse potest; item: In quo, ait, non consubstantiatur,

†) deberi (?).

non coaequatur. — Hoc totum eorum acumen est, qui,*) nisi primo humanis rationibus intelligant, credere detrectant, cum potius conversam**) nos doceat divinus propheta Isaias dicens: *Nisi credideritis, non intelligetis.*

A qualium perversa doctrina, quae sunt elementa mundi, et secundum philosophiam mundanam esse cavendum nobis, Paulus apostolus docet dicens: *Videte, ne quis vos decipiat per prophetiam et inanem fallaciam secundum doctrinam hominum, secundum elementa mundi et non secundum Jesum Christum, quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, et estis in illo repleti etc.* Item ipse ad Corinthios, praemisso: *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes;* aliquibus etiam interpositis, qualem ecclesia Dei doctrinam acceptare debeat, suo exemplo praemonuit dicens: *Et ego cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiae, annuntians vobis testimonium Christi. Non enim judicavi scire me aliquid inter vos, nisi Christum Jesum crucifixum;* et post pauca: *Et sermo,* inquit, *meus et praedicatio mea non in persuabilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, ut fides vestra non sit in doctrina hominum, sed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos; sapientiam autem non hujus seculi, neque principum hujus seculi, qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit ante secula, quam nemo principum hujus seculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam* (72) *Dominum gloriae crucifixissent. Sed sicut scriptum est: Quod oculus non vidit, nec auris audivit, et in cor hominis non ascendit, quae praeparavit Deus his, qui diligunt eum.* Ecce illi nos ad rationes mundanae philosophiae provocant, et secundum physicas elementorum rationes contra fidem disputant, ex elementorum ratione Deo legem ponentes; quasi non potius ejus voluntas et potestas elementorum omnium et rationum seu causarum inde ducendarum lex sit; quasi forma, quae omnium formarum creatrix et conservatrix est, ipsa sui juris et potestatis non sit, ita ut se suae imagini substantialiter accommodare non potuerit, ut, quomodo

*) haec nota, hic mos omnium haeresum et haereticorum.

**) sic ms. id est contrariam.

rationalitatem sensualitati in creatione hominis naturaliter et substantialiter univit, ita summam rationem, quae ipse est, rationali creaturae ad imaginem suam factae per nativitatem virginei ex Deo conceptus et partus substantialiter unire nequiverit.

Tale enim est hoc, quod isti per ossium et carnis corpulentiam et humanitatis propria contra divinitatis virtutem et potentiam in hominem Christum collatam disputant. Quale si quis primo homine creato et ad imaginem Dei rationali facto quispiam contrastans disputaret dicens, hoc sensibile, animatum rationale non esse, eo quod nullum in omnibus creatis a Deo ex terra animantibus rationale inveniri potuisset; adderet autem ad assertionis suae probamenta dicens, rationalitatem formam esse angelorum in caelo, non animalis, quod de terra factum sit: dicat etiam, quod caelo cum terra aut quod caelestibus cum terrenis, quod rationi cum sensualitate; insuper et hoc adjiciat, inconsequentem esse dictionum connexionem, dicere, hoc sensibile rationale esse, vel e converso, coloratum intelligere, et cum†) in hunc modum. Attamen non eo minus verum est, sensibile rationale factum esse, animal de terra creatum intelligendi potens existere, caelestem essentiam cum terrena in unam naturam unitas††) esse. Non, quod rationalitas sensualitas effecta sit, vel e converso; aut quod duae istae formae in unum sint confusae vel permistae, ut utraque in semet ipsa perfecta non sit. Alioquin et homo ex eis substitutus nec perfecte rationalis nec perfecte sensibilis existeret, eo quod neutra formarum in se perfecta esset. Non enim sic dicimus homines unius esse na-
(73) turae, quod rationalitas sensualitati vel corpus animae rationali coessentiata sint, sed per conformitatem omnes homines unius naturae esse dicuntur, eo quod, sicut unus quispiam, ita et caeteri omnes ex anima rationali et humana carne, ex rationalitate et sensualitate substituti sint. Dicimus ergo vere, hoc sensibile rationale esse, quamvis sensibilitas rationalitas non sit, et e converso. Et, inde consequentem, quod†††) hanc dictionum conjunctionem non negamus, quia††††) quidam scholastici nuper invento nomine *accidentalitatem* dicunt, sed et alio nomine *inconsequentiam* dicere possent, ubi praedicatum causae non redditur; sed, sicut ante nos dictum est, inconsequens connexio dictionum non praejudicat veritati dictorum. Etenim hoc sensibile animal, quod est homo, etsi

---

†) compluria (?). — ††) praestare vid. *unitam*. — †††) *Et inconsequentem quidem* (?). — ††††) quam (?).

non eo quod est sensibile rationale est, et e converso: nihilominus tamen in eo quod est sensibile rationale est, et e converso. Quodsi adhuc ille contradictor stet ex adverso dicens, hoc sensibile rationale non esse: nonne per effectum ratiocinandi dividendo et diffiniendo, arithmetice numeros pares ab imparibus distinguendo, os contradicentis obstrui posset? Etenim ubi virtus et effectus naturae, ibi et natura. Nonne tibi similis contradictioni huic videtur Judaeorum et judaizantium haereticorum contradictio adversus Dominum et adversus Christum ejus loquentium? *De bono,* inquiunt, *opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum,* aequalem te faciens Deo. Quid est: *Tu homo cum sis?* Cum sis pulvis terrenus, homo repletus multis miseriis, similis nobis, passibilis, habens ossa et carnem, facis te ipsum Deum, quem vidit nullus hominum nec videre potest, qui est omnipotens, immensus et incircumscriptus. Nonne et sic primo homini dici poterat: Tu cum sis terreum animal, infirmum et in multis caeteris animantibus infirmius, facis te ipsum angelorum in caelo socium? Si enim angelorum consors esse volueris, necesse est, ut aut tu tibi carnem et ossa detrahas et in caelum ascendas, aut angelos in terram et in tuae carnis limosam materiam deponas. — Nonne tale est, quod isti secundum doctrinas†) hominum et elementa mundi contra Christum loquuntur, dicentes: Si Christum in eo quod est homo Deum, Dei filium et aequalem Deo facis, necesse erit, ut aut filio carnem et ossa et caetera hominis propria detrahas, aut eadem patri assignes. Sed quia haec patri assignari impossibile est, igitur in eo quod est homo Christus filius Dei unicus et patri coaequalis non est. — Sic putide argumentantur (74)
isti, una cum Judaeis per inferioris naturae in Christo evidentiam potiori ejus naturae contradicentes, quemadmodum in praemissa similitudine monstratum est.

Nec vero Judaei, sicut nec isti, cuilibet filiationi Dei seu dealitati in Christo homine contra dicunt, sed ei, quae hominem illum Deo aequalem constituat. *Tu,* inquiunt, *homo cum sis, facis te ipsum Deum,* aequalem te faciens. Poterat enim et Deus dici, quemadmodum unus ex prophetis, ad quos sermo Dei factus est. Poterat et filius Dei dici, quemadmodum et Judaei dicentes: *Unum patrem habemus Deum.* Sed de aequalitate hominis aut filiationis proprietate ad Deum tota istorum, sicut et Judaeorum, contradictio

†) ita t. ms.

est. De hac enim sola filiatione, quae aequalem hominem Deo constituit, Judaeis contra Christum, quem hominem viderunt, sermo fuit; quemadmodum et istorum super eisdem contradictorius sermo ut cancer serpit. Sed quod Judaeis respondet Christus, et istis responsum sit. *Si non facio*, inquit, *opera patris mei, nolite credere mihi; si autem facio, etsi mihi non vultis credere, operibus credite; quia ego*, ille videlicet, quem causamini hominem, *in patre meo et pater in me est.* Etenim dum mortuos verbi imperio resuscito; dum tactu manus lepram fugo; dum ventis verbo humanitus impero, et quiescunt; dum tacito nutu aquas in vinum commuto; dum minulias panum omnipotenter augmento, ut reliquiae milibus superantes primam quantitatem exsuperent; dum tacitas cordium cogitationes revelo: numquid non haec opera patris mei sunt, de quibus dico: *Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi, si autem facio etc.*; item: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*; item: *Non potest filius a se ipso facere quidquam, nisi quod viderit patrem facientem. Quaecunque enim ille facit, haec*†) *et filius similiter facit!* Aut numquid haec homo Christus Jesus verus homo in homine humanitus loquens et agens ad hoc loquutus et operatus est, non ut se, qui homo videbatur, verum atque omnipotentem probaret per divina opera Deum? Sic autem et ego me rationalem atque angelis conformem probarem apud contradictorem, dum quatuor et tria septem dicerem, dum inter justum et iniquum discernerem, et cetera, quae nemo nisi rationalis
(75) facere posset, peragerem. Hoc ergo est, quod in Domino Jesu apostolus, mundanorum elementorum faciem et philosophiae opiniones supergressus, constanter affirmat, *quoniam in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, visibiliter, sensibiliter, palpabiliter. Aut numquid leprosus ab homine divina operante se mundatum non vidit, verba leprae imperantis non audivit, utilitatem sensit, manu palpavit? Hoc ergo est divinitatis omnem plenitudinem habitare in Christo corporaliter, videri in viso, audiri in loquente, operari in operante. Igitur dum illi per corporalis habitus speciem contra naturam divinae potentiae ad hominem acquisitam disputant, nos per virtutem operum divinorum in homine divinitatis veram probemus naturam, et eum filium Dei unicum, proprium, naturalem per opera et virtutem paternam in homine apparentem, evidentem et usu approbatam adstruamus. Etenim

†) ms. t. *hoc.*

nusquam virtus naturae praeter naturam est. Non mea haec, sed Hilarii, praeclari doctoris, verba sunt. Igitur Christus homo, etsi non eo quo homo, attamen in eo quod homo, verus mihi Deus est, divinis operationibus in homine ac per hominem comprobatus. Dico autem: Si videres animal corpore, quod et facie bestialem, sed humana verba loquens, ratiocinandi potens ejusque rei usum perpetuum usque ad finem retinens: numquid illud hominem non diceres in ferali specie latitantem, eo quod diffinitio ei conveniret hominis, cum esset animal rationale, mortale? Ita et Dominus de se: *Nolite,* inquit, *judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.* Unde et tu cum videas in homine opera Dei; cum audis eum loquentem verba Dei et quae nemo potest loqui nisi Deus: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor;* item: *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est:* non tibi hoc ossa et caro persuadeant, ut eum verum Deum ac verum Dei filium naturalem non credas. Sed in his, ais, patris Dei filius non est, in quibus patri Deo dissimilis est. Dic ergo et simili modo, quoniam in his matris virginis filius non est, in quibus matri substantialiter dissimilis est. Et sic nec Virgo mater Dei, nec Deus secundum te pater est hominis.

Sed obstat tibi concilium Ephesinum, in quo id damnatum invenis, ne audeas negare B. Virginem matrem Dei. Obstat tibi ex altera quoque parte evangelium, in quo legis, quoniam id quod ex Virgine natum est vocandum est filius Dei. Sed dicis: Virgo mater est illius, qui est Deus; et Deus pater illius, qui est homo. Quia Virgo mater est Christi, qui Deus et homo est; et Deus item pater Christi, qui Deus et homo est. — Sed hoc Nestorianum est. Qui virginem χριστοτόκον dici voluit, θεοτόκον dici prohibuit. Neque vero nos eo sensu Virginem matrem Christi vel Dei dicimus, ut (76)
divinitatem ex matre oriundam putemus, sicut nec eo sensu Deum patrem Christi utraque natura sive hominis in Deum assumpta dicimus, quod homo ex Deo materialiter sumtus sit (quis enim hoc vel stultissimus dixerit, cum Deus spiritus et homo caro sit?); sed quod unum Emmanuel Virgo genuerit, qui totus, id est utraque natura filius Dei, et item totus, id est utraque natura filius Virginis sit. Cujus fidei simul et confessionis rationem, cum superius sit, hic iterato ponere, opus non est. Nam nunc nobis de ascensione Christi ad patrem, item secundum rationem fidei sermo fuerat continuandus, nisi quod isti, rationibus humanis fidei fundamenta molientes evertere, nos in sermonibus faciunt laborare, Christum

in eo quod homo est ossa et carnem habens Dei patris filium esse negantes. Christus, inquiunt, secundum divinitatem filius Dei, secundum humanitatem filius hominis est; secundum divinitatem Deus, et secundum humanitatem homo est. Attendendum enim est, inquiunt, sicut B. Augustinus docet, quid *secundum quod* dicatur. Sed replicentur omnium doctorum orthodoxorum eloquia: nusquam in omnibus eorum paginis illud *secundum quod* pro placido ipsorum ubilibet applicat (?), sicut applicatum invenient. Et nos quidem non negamus, bene attendendum, quid *secundum quod* dicatur; sed sicut hic attendendum, ita et istud sciendum, quod non ubilibet applicandum sit. Sicut enim dicere, Christum secundum divinitatem esse Deum, secundum humanitatem esse hominem; secundum humanitatem filium hominis, secundum divinitatem filium Dei, ecclesiasticae doctrinae usus non est, a nullo unquam patrum usurpatus, eo quod quiddam Nestorianum et Photinianum redoleat — unde et auribus religiosis intolerabilis esse debet —: sane, distinguere, ubi applicari in sermonibus de Christo talem determinationem competens vel incompetens sit, consideratione non parva indiget. In quo ego sapientiores me libentius audire velim, quam meam praecipitare sententiam. Dico tamen et ego interim, quod sentio; quod utrum sufficiens sit, sapientum relinquo judicio. Etenim ubi substantialia alterutrius de Christo naturae enunciantur, quae responderi possunt ad interrogationem factam per quid, verbi gratia: Christus est Deus, Christus est homo; similiter et quaedam relativa, quae item substantiam indicant, ut: Est filius Dei, vel filius hominis: in his minime mihi talis subauditio determinationi necessaria, imo penitus contraria videtur, eo quod evangeliis contrarium sensum inducat sic pronuncians: Christus secundum divinitatem est filius Dei, secundum humanitatem filius hominis; secundum humanitatem homo, secundum divinitatem Deus; similiter: Christus est omnipotens; Christus est Dei virtus et Dei sapientia: secundum
(77) utramque naturam indifferenter intelligendum mihi videtur. Et sic de reliquis substantivis. Ubi vero actus vel passiones enunciantur de ipso, verbi gratia dum flagellatus, crucifixus, mortuus, sepultus, resurrexisse et ad caelos ascendisse dicitur: ibi non incongrue attenditur, quid *secundum quid* dicatur. Omnia enim haec secundum humanitatem pertulisse et egisse recte dicitur, sicut e converso miracula secundum divinitatem operatus non incongrue perhibetur. Operata est enim utraque natura, quod suum est, ut aiunt patres catholici, sed id cum alterius communione. Etenim cum passiones

in Christo proprie humanae naturae sint, non tamen Deus passionum expers fuit, eo quod is, qui passus est, homo Deus esset. Unde et homo humana omnipotenter pertulit, et Deus divina humanitus peregit, dum mortuus humanae vocis clamore per eum suscitatus est, et venti humanae vocis imperio siluerunt dumque moriens ipse animam potenter ponit et resumit, dum morientis virtute Tartarea jura perturbantur, sol et luna deficiunt, et mortuus vita donatur. Similiter et in quibusdam relativis, quid *secundum quid* dicatur, congrue attenditur, ut est: Aequalis patri secundum divinitatem, minor patre secundum humanitatem. Non solum autem discretione indiget, in quibusnam pronunciationibus determinatio ista adhibenda sit; si etiam adhibita, dum adhiberi oportet, ad quid sit referenda; multiplicem enim sensum inducit: et, cum, ubi oportet, non adhibetur, eo quidem aliquando ad naturam, aliquando ad personam, aliquando ad causam, aliquando ad habitum referatur, ne forte ad aliud, quam oportet, relata erroneum sensum introducat. Caeterum cum dicitur Christus aequalis patri secundum divinitatem, ad naturam mihi eum, qui dixit, referre voluisse videtur, quamvis tamen et in persona Christus aequalis per omnia patri sit. Similiter cum dicitur minor patre secundum humanitatem, quamvis ad tempus humanae dispensationis*) ac dispensatoriae minorationis secundum evangelium referendum sit, sano tamen intellectu et ad naturae humanae conditionem referri valet. Juxta quam videlicet naturae conditionem Christus etiam hodie patre minor est; juxta quam etiam, cum surrexisset a mortuis, jamque factus actu, ut prius potestate, immortalis, nos fratres ad hoc vocare dedignatus non est dicens: *Ite, nunciate fratribus meis etc.* Secundum quam etiam naturae humanae conditionem etiam tunc ipse patrem Deum communi nobiscum vocabulo, patrem suum ac nostrum, deumque suum ac nostrum dicere non dubitavit, *ascendo,* inquiens, *ad patrem meum et patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.* Quamquam B. Gregorius diligenter ac prudenter (78)
dictorum Dominicorum discretionem attenderit, videlicet non sine ratione sic dictum esse *meum et vestrum,* et non communiter nostrum, scilicet quia ipse aliter Deum habeat patrem quam nos, atque aliter Deus ei quam nobis sit. Pater enim, inquit, ei est per naturam, pater vero noster per gratiam. Deus ei est, quia descendit; Deus noster est, quia ascendimus, paululum demutatis verbis. Haec B. Gregorius.

*) οἰκονομίας.

Attamen quoniam B. Hilarius libro de Trinitate undecimo eadem evangelica verba ab Arianis sibi objecta, quibus nitebantur ostendere, filium patre per omnia, etiam in eo quod in principio erat Verbum, minorem esse, dum sibi unus verus Deus aeque ac nobis pater ac Deus existeret; quoniam, inquam, B. Hilarius ita versat haec verba Dominica, ut ad formam servi roferum dicat, quod Christus nos fratres nominat; quod Deum suum et nostrum, patrem suum et nostrum communiter nuncupat; in quo sibi ita ut hominibus patrem dicit, et Deum sibi ita ut servis Deum existere; quamvis, ut item dictum est, B. Gregorius in iisdem verbis, ungulam discretionis findens, distinctionem paternitatis Dei ad Christum et ad nos, itemque divinitatis dominium, qua sibi ac nobis Deus, Deus est, aliter*) sibi atque aliter nobis esse distinguat: nos tamen, utrumque patrem orthodoxum aeque venerantes, sic unum recipimus, ut alterius dicta non improbemus. Quamvis enim, quod ait B. Gregorius, constet,**) Deum aliter Christo atque nobis patrem esse: Pater, inquiens, ejus per naturam, pater vero nobis est per gratiam — ad Verbi naturam retulisse putari possit: illud tamen, quod Christo Deum aliter Deum quam nobis dicit, nemo contentiosus ad aliud quam ad nostri generis formam in Christo putabit referendum; ad quam solam ei Deus Deus est. Dum ergo uterque patrum de Christo secundum formam servi agat, dissonanter tamen loquentes, discretione ac divisione ungulae opus est, quatenus eos, etiamsi diversa de eadem forma servi, non tamen adversa dixisse inveniamus. Itaque Hilarius nos Christo et Christum nobis secundum formam servi in appellatione patris et Dei consocians, in forma servi tantum proprietatem naturae et conditionis attendit. Sed
(79) B. Gregorius in eadem forma servi in Christo assumptionis privilegium et nativitatis, qua in Deum ex spiritu sancto et virtutis altissimi obumbratione provecta est, praerogativam consideravit, dum Deum aliter Christo atque aliter nobis patrem, itemque aliter sibi aliter nobis Deum ostendit. Et hac discretione significationis vel intelligentiae in plerisque tam evangelicis quam tractatorum paginis opus est, ne id, quod de naturae nostrae conditione interdum humiliter in Christo dicitur, ad privilegium naturae referatur, vel id, quod de privilegio item naturae nostrae in Christo sublimiter et Deo dignum dicitur, conditioni naturae tribuatur.

*) desideratur hic vox quamquam aut quamvis; inculcat enim sententiam suam et S. Gregorii.

**) reposita est vocula loco, in quo desiderabatur.

Sic enim et illa diversitas inter Athanasium et Hilarium solvitur, ne adversitas sit: quia unus ipsorum, videlicet Athanasius, filium secundum humanitatem patre minorem dicit, alter vero, videlicet Hilarius, secundum eandem humanitatem glorificatam jam non minorem patre defendit. Clarificaturus, inquit, filium pater major est; clarificatus apud patrem filius minor non est. *(IX. 56.)* Item: Pater, dum pater est et glorificat hunc filium hominis, major est. Filius vero minor non est, dum gloriam resumit apud patrem. Idem ipse: Omnis, inquit, gloria non Verbo, sed carni acquirebatur, id est non nativitati Dei, sed nati hominis dispensationi. *(IX. 40.)*

Verum hic adversarii, claritatem hujus testimonii non ferentes, ad transsumptionis suae figuras vel umbras fugiunt dicentes, eum per transsumptionem esse locutum, et alterius naturae gloriam non significatione propria, sed locutione topica in aliam transtulisse; quasi tantus doctor per parabolas nobis locutus sit, et non crebris dictorum suorum repetitionibus ad omnimodam nobis dictorum suorum intelligentiam loqui studuerit. Hinc enim†) est, quod sensum suum de gloria hominis assumpti nobis intimans alias quoque ait: Profecto ei, quod accepit, ejus claritatem expostulat, unde non destitit; et iterum: ut id, quod de tempore erat, gloriam ejus, quae sine tempore est, claritatis acciperet; et multa in hunc modum. At inquiunt: Hilarium vos non intelligitis. Lectio enim ejus a simplicium fratrum sensu longe abest. — Quasi, clavis (80)
scientiae penes eos sit, quam ipsi quidem tollere et subterrare*) nituntur, nec ipsi intrantes nec alios intrare sinentes. Hilarium nos non tanquam prophetam, sed sicut doctorem et tractatorem legimus, qui, grandia quidem loquens, grandiloquo etiam stilo congrue usus est, sic tamen ut studioso et familiari suo lectori sensuum suorum non abscondat intelligentiam.

Verum noster ille agonotheta**) Follis-amarus, lector eximius, in tantum lectioni ejus familiarissimus est, ut eum Graecum existimet, Dionysii Areopagitae lectioni longe obscuriorem. Miror vero, quod tantus ille lector vel Martini vitam non legit, qui, sicut ibi legitur, ut Hilarii discipulus fieret, non Graeciam, sed Gallias ingressus est. Verum iste, non solum lecta, sed et numquam lecta et Graeca existimata, cum sint Latina, exponere promptus, his, qui legerunt et in lectione Hilarii assuefacti sunt, obscuritatem ejus nititur explanare. Quarum una est haec: Pater, dum pater est,

†) ms. bis t. *enim.*

*) i. e. supprimere. — **) ponit pro *adversario.*

major est. Filius, dum filius est, minor non est. Haec, inquit, modalis est sine modo, temporalis est sine tempore. Semper autem, inquit, pater pater est, et semper filius filius est, ut inde consequatur, semper patrem filio majorem et semper filium patre non minorem, sed aequalem esse, ut, dum Hilarium sibimet in facie verborum contrarium monstraverit vel in contemptum ducat, vel lectorem in intelligentiae mutet diffidentiam. Sic egregius iste ignotorum expositor non de fumo lucem, sed de luce fumum dare novit, dum aliorum imperitiam pandere nititur, suam prodens, ante magister expositor quam discipulus exponendorum esse praesumens.

Cur tu, Follis-amarissime, non mavis ignorantiam tuam fateri, ut discas, quam docere, quod nescias? Disce autem nunc primo, nescire te, quod nescias, teque tanto folle esse folliorem, quanto falsae scientiae opinione grossiorem. Dumque ignorantiam tuam primo confessus formam discipuli assumpseris, doceri poteris, non sibi in his verbis Hilarium esse contrarium, sed in pugna verborum forensi sanae intelligentiae sensum pio et assuefacto lectori sublucere. Tolle hinc typum modalium harum sine modo, temporalium sine tempore. Disce absque his patrem, dum pater est, dum principium aeternum filii sibi coaeterni est, auctoritate paternitatis ac principii filio esse majorem, sed filium, dum filius est, dum filius
(81) naturalis, ens ejusdem naturae cum patre est, patre minorem non esse. Hoc est: Pater, dum pater est, major est; filius, dum filius est, minor non est. — Hunc autem sensum idem catholicus doctor consequenter, semet ipsum exponens, planius edicit hoc modo: Generatio patrem majorem constituit; nativitatis natura filium minorem esse non patitur. — Esset quidem in dictis atque in sensu contrarietas, si ejusdem vel relationis vel naturae respectu pater filio major, et filius patre non minor diceretur. Nunc vero, dum pater generandi auctoritate major, et filius non geniti proprietate, sed naturae identitate non minor, sed aequalis asseritur, nulla in dictis contrarietas est.

Poteram ego pseudoexpositionem tuam in alia quoque Hilarii dicta redarguere; sed parco, ne, stultitiam tuam finaliter persequens, tibi similis efficiar. Ab Hilarii nos lectione dehortaris, ad Augustini planiorem provocas. Cujus tu si lectioni studiosior extitisses, forsitan te non praeteriisset, nunquam eum tuae haeresi de dulia et non latria, homini assumpto in Deum exhibenda, fautorem existere. Quin potius huic perversae doctrinae tuae contrarium

judicabis†) de adoratione scabelli. Floro verba ejus breviante dicit: Non dividitur ab adoratione, quod conjunctum est unitate. Sit ergo tui erroris pravitas tibi tuisque condulianis. Nam nec*) B. Augustino nec ulli orthodoxorum patrum eum poteris assignare, omnibus generaliter cum apostolo contestantibus, *quoniam Dominus Jesus Christus* (quod nomen utique assumpti et uncti in Deum hominis est) *in gloria est* (non qualibet et minore, sed in ipsa est gloria) *Dei patris.*

Nec sibi de impunitate applaudant, qui interrogati, utrum latriam assumpto in Deum homini exhibeant, silent, veritatem confiteri non audentes. Nam *qui me erubuerit,* ait Dominus, *et meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua et patris et sanctorum angelorum.* Apostolus quoque: *Corde,* ait, *creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Quomodo ergo salutem consequentur, qui non confitentur? Nec solum corde credendus et ore confitendus est Dominus Jesus, sed etiam affectu diligendus. *Qui non amat,* ait item apostolus, *Dominum Jesum, sit anathema, maranatha.* Neque vero minori dominio confitendus et amandus est Dominus Jesus, quam eo, quo et pater Dominus est; imo vero et unus est Dominus, non duo vel (82)
tres domini sunt. Ad hoc vero et synodus Ephesina anathematizabat non una adoratione hominem cum Verbo adorantes. Fuerit quidem tempus, cum Domino Jesu adhuc in carne degenti dulia potuerit exhiberi atque exhibita est ab his, qui ipsi cum discipulis necessaria vitae ministrabant. In quo tempore, *etsi cognovimus,* ut apostolus ait, *Christum secundum carnem, sed jam nunc non novimus.* Unde ei etiam nunc, nisi forte in membris suis, non duliam, ut aiunt, speciem duliae, sed latriam exhibemus.

Age nunc, unde digressi sumus, revertamur. Naturae vides humanae in Christo significationem non unifariam accipi, sed modo naturae ipsius conditionem propriam nobis communem, modo vero naturae humanae nomine, naturae ipsius in Deum natae vel glorificatae privilegium significari. Tale enim est illud in evangelio, quod Dominus de se homine ac de carne filii hominis excellentiam in se privilegii significans: *Nisi manducaveritis,* ait, *carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis;* et multa in hunc modum. Subsequenter vero discipulis, super verbo illo conturbatis, cujus

†) qui (sc. Hilarius) potius . . . judicavit etc. (?)
*) haec negationis particula per librarium fuerat omissa.

virtutem significationis nondum capiebant, ait inter caetera: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius? Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Quod est dicere: Si videritis filium hominis integro corpore ascendentem, ubi erat prius, subauditur: cognoscetis non me, animaliter ut alterius pecoris carnem, verbi gratia, agni paschalis, coctum vel assum manducandum; sed quia spiritus est, qui vivificat, caro, qualem vos me videtis et qualem comedere vos putatis, non prodest quidquam. Ecce hic carnem communis appellationis vocabulo se nominans, qualis videlicet solum caro ipse vel caro sua aestimabatur, eam carnem non prodesse quidquam dicit. Et notandus dicendi modus. Non enim ait hic cum adjectione possessivi: *Caro mea non prodest quidquam,* ut superius, *caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Si enim *mea* addidisset, jam privilegium significasset. Nunc vero communis appellationis vocabulo carnem significans, qualis ab hominibus solum aestimabatur: *Caro,* inquit, *non prodest quidquam.*

Neque vero nobis haec verba Christi suffragium ferre putanda sunt, ut et nobis liceat aliquando carnem Christi sine honore privilegii nominare. Quibus potius infidelitas Judaeorum et ignorantia
(83) discipulorum arguitur, quam ut nobis vel in loquendo vel in cogitando carnem Christi sua deitate spoliandi exemplum praebeatur; sicut et illic: *Quid me dicis bonum? Nemo enim bonus, nisi unus Deus.*

Chamitarum patris sui nuditatem irridentium hoc est; quales et Judaei fuerunt, qui Christi nuditatem in cruce et hominem, ut putabatur, deitate nudatum videntes dixerunt: *Vah, qui destruit, templum Dei, et in tribus diebus reaedificat!* Talis et Pilatus: *Ecce,* inquit, *homo!* sine honoris additamento. *Consilium istorum longe sit a me, et in caelum eorum non veniat anima mea. Hi enim sunt vasa iniquitatis bellantia, qui occiderunt virum, suffoderunt murum.* Vesti, ait B. Ambrosius, tu carnem Christi divinitate sua. Sed ait quis: Numquid caro Christi non etiam nostri generis caro est? Quodsi nostri generis caro est; quo pacto, sicut est, cogitanda non est, sic vero, ut nostri generis caro cogitata: quomodo erit adoranda? Sed audi me, et ne perturberis. Carnem Christi, qui carnem communis generis cogitat vel dicit, non totum, quod est, cogitat vel dicit. Etenim cum carnem eam dicit, non eam etiam carnem Christi, et carnem Christum non nescit, ac potius

nescire debet. Totum ergo cogita, quod est; et ita sine offensione adoranda est. Non adoro carnem Christi, quia caro est, sed quia caro Christi et caro Christus est. Sic enim et de spiritu sancto nescio an non recte dici possit: Non adoro spiritum sanctum, quia persona est (cum tamen et hoc sit), sed quia una in trinitate persona subsistens est. Melius tamen hoc affirmative dicitur, si necessitas dicendi ingruerit. Sic adoro carnem Christi, non quia caro, sed quia caro Christi est; sicut de spiritu sancto non disconvenit: Adoro spiritum sanctum, non quia persona est, sed quia una in trinitate persona est! ne videlicet in ore christiano negatio adorationis ad carnem Christi aliquatenus sonare audiatur. Etenim in Christo et in ejus carne nescire quidem non est, quod caro nostri generis sit; sed, dum caro nostri generis est, non etiam caro Verbi et caro Verbum non est. Et rursum, dum caro Verbi et caro Verbum est, non etiam caro
nostri generis non est, omnimodis quidem adoranda, non autem (84)
propter quodlibet adoranda, sed propter hoc, quia Deus, Dei caro est. Unde Ambrosius in hymno: Regnat Deus Dei caro.

Hac etiam discretione, qua Dominus carnem suam modo carnem secundum naturam sine additamento possessivi, modo cum additamento possessivi significatione privilegii carnem suam dicit, etiam Deum patrem compellare consuevit, modo videlicet eum patrem communi vocabulo sine additamento pronominis possessivi compellans, quo nomine et tota trinitas nominari evangelica institutione solet, ut est illud: *Pater noster, qui es in caelis!* et illud in apostolo: *Unus deus et pater omnium, qui super omnes et per omnia et in omnibus vobis:* modo vero eum patrem suum familiari compellatione dicit, magna de semet ipso loquitur et talia, quae non nisi filio Dei proprio et unico possint competere, exempli gratia: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor!* item: *Ego veni in nomine patris mei!* et alibi: *Ascendo ad patrem meum.* Non dixit communiter *nostrum,* sed distincte *meum et vestrum,* discretionem quidem personarum inter se et patrem ostendens, sed aequalitatem potestatis significans. Ubi autem absolute dicit *pater,* non unam personam, sed simul patris et filii et spiritus sancti unam vult intelligi divinitatem. Et quae illic de semet ipso loquitur, humiliora sunt et formam servi non supereminent, verbi gratia: *Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam, sed ut cognoscat mundus, quia diligo patrem, et sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio;* item: *Confiteor tibi, pater, domine caeli et terrae.*

Hoc animadverso et illud absolvitur,*) quod promittens spiritum sanctum discipulis, cum dixisset: *quem ego mittam vobis!* addidit: *a patre.* Non enim hoc significare voluit, quod, ut Graeci dogmatizant, spiritus sanctus a sola patris persona procedat, sed ut intelligas, quia, quod spiritum sanctum mittit Dei filius, non est ex humanae naturae paupertate, sed ex divinae sufficientia naturae.

Et quid est, quod *a patre,* et non *a patre meo* procedere dixit, nisi quia non ab una tantum persona, sed absque personarum
(85) distinctione a divina majestate spiritus sanctus procedit? Sic Dominus de patre loquens vel patrem alloquens modo, privilegium suae filiationis significans, sublimiter patrem suum compellat, modo vero, nostrae in se naturae condicionem agnoscens, una nobiscum unam divinitatis majestatem patrem humiliter nominat, nusquam tamen nobis condescendens vel se nobis connumerans in appellatione patris, ut communiter *pater noster* vel *patrem nostrum* dicat; (quam)**) quemadmodum nos docuit orare dicens: *Sic autem orabitis: Pater noster qui es in caelis!* quin potius et dum se humiliat dicens: *quem ego mittam vobis, a patre!* ego videlicet homo, mittam vobis ab altissimae divinitatis majestate. Non usquequaque etiam secundum hominem privilegium suae celsitudinis oblitus est, quod propius accedentibus et diligentius intuentibus apparet. Quomodo enim in eo quod homo est a patre spiritum mittere posset, nisi prius ad patrem ipse in eo, qui a patre aberat, in eo videlicet quod homo, ad patrem ascendisset? Locutus est autem haec ipse homo passibilis, quando adhuc secundum id quod homo erat patre minor erat, ascensurus tamen ad patrem, antequam spiritum mitteret, ascensurus, inquam, ad patrem, ut jam in eo quod homo erat et in quo solo ad patrem ascendere poterat patre minor non esset, et sic in patris majestate et in eo quod homo erat medius trinitatis existens socialiter a patre spiritum mittere posset. A patre enim mittere nullius est, nisi qui unus ex tribus est. Ad hoc autem et illud pertinet: Spiritus nondum erat datus; quia Jesus nondum erat glorificatus. Glorificat ergo apud semet ipsum pater Dominum Jesum, ut spiritum sanctum a patre mittere posset.***) In quo autem glorificatus est, nisi in eo quod homo fuit et in quo a patris claritate ad horam destitit, et in quo solo glorificari potuit? Hoc ergo factum qui non credit, adhuc spiritum

*) pro *solvitur.*
**) haec vox in ms. praetermissa est a librario.
***) *potuisset* superscripsit quidam librario ms.

sanctum missum esse non credat necesse est. Item, quod claritatem sibi homini a patre postulat, humilitatis est. Quod vero non sub patre, sed apud semet ipsum patrem clarificari se postulat, non nisi filialis est privilegii. Non negamus autem, ipsum Dominum Jesum humanae conditionis ac dispensatoriae minorationis conscientia non nunquam de se humilia, et quae humanae mediocritatis modum (86) non excederent, esse locutum; ut est illud: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste!* et illud: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* — quae tamen et ipsa competentem et non ignominiosam dicenti recipiunt expositionem —, nunquam vero adeo sui esse oblitum, ut in eo quod homo est, quo carnem et ossa habet, filium Dei se negaret aut unicum et naturalem se patris Dei filium diffiteretur. Quin potius Petri, ipsum in eo, quod filius hominis est, *filium Dei vivi* dicentis, confessionem pie remunerat dicens: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.*

Similiter autem et Hilarium, cum multa de Christi hominis nati natalibus, multa quoque de hominis in Dei gloriam assumptione ac de naturae glorificatae in gloriam glorificantis naturae provectione ore grandi et gratioso intonasset, ita ut totum paene volumen librorum duodecim de trinitate contra Arianos contextum hac sanissima et evangelica doctrina resperserit, in una undecimi libri pagina seu duabus paginulis humilia de Christo secundum hominem non nego locutum, dum eum patrem fatetur habere Deum, sicut et nos, et quemadmodum omnis creaturae pater Deus est, Deumque sibi in eo, quod homo est, quemadmodum nobis, Deumque†) existere — quod ei contra Arianos non satis erat, qui ea, quae humilia ipse Dominus Jesus de se locutus est, et ad Verbi divinitatem referebant. Non tamen adeo sui idem B. Hilarius oblitus est, ut eum secundum humanitatem nunquam filium Dei proprium vel unicum aut naturalem negaverit, aut non aliter in eo, quod homo est filius Dei; quia unum ex nobis dicere usurpaverit. Quod isti ore Judaico et Photini atque Nestorii, Pauli quoque Samosateni infecti veneno dicere ac dogmatizare non verentur. In hoc enim omnes isti praenominati una cum Judaeis haeretici, licet in quibusdam dissideant, concordes sunt, tanquam caudis vulpium in unum colligatis, quod is, qui videbatur homo ex anima rationali et humana carne subsistens, in eo quod homo erat

†) Deum (?).

Deus non fuerit nec sit nec esse possit, sed Deo tantum conjunctus et familiaris Dei habitatio extiterit. Quamvis ne id quidem Judaei de ipso fatentur, hominem eum tantum magum et seductorem dicentes, natum de Maria et semine Joseph. At omnis ejusmodi doctrina evangelio et apostolicis litteris contraria est, ubi nusquam assumptum ab assumente divisum legimus, sed totum divina et humana generatione in filium Dei reputatum est. Hinc enim illud
(87) angeli verbum ad B. virginem Mariam.

Praemissa namque de spiritus sancti in eam superventione et virtutis altissimi obumbratione, quae causae naturales ac supernaturales vice terreni parentis in eo extiterant, sublimium ac divinissimarum causarum item sublimem ac divinissimum edicens effectum: *Ideoque,* ait, *quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Ad quid ergo filiationis Dei nomen specialius referendum est quam ad id, quod talibus causis divinissime operantibus de Virgine sumptum et natum est? Aut cujus filius rectius quam altissimi patris secundum id, quod de Virgine sumptum et natum est, diceretur Dominus Jesus, quippe cujus spiritus in Virgine supervenit et virtus Virgini conservandae obumbravit, cujusque Verbum incorruptibile semen cum proprii sanguinis immaculata substantia in unum Emmanuel ab eadem B. Virgine conceptum est? Audio igitur propter hoc ipsum et Paulum dicentem, *quomodo Christus Jesus factus sit Deo filius secundum carnem, et quia praedestinatus sit idem filius Dei in virtute;* quae item praedestinatio non ad aliud quam ad id quod homo est valet referri. Audio item a Paulo eundem Dominum Jesum, haud dubium quin item secundum quod homo est, *tanto meliorem angelis effectum, quanto et differentius prae illis nomen haereditavit.* In quo enim alio effectus est Dominus Jesus nisi in eo, quod homo pro salute nostra factus est? Quale autem in eo nomen non dico ante saecula habuerit, sed factus homo ex generationis privilegio in eo, quod prius non habuit, haereditavit,†) ipse subsequenter eloquitur dicens: *Cui enim angelorum dixit aliquando: Filius meus es tu, ego hodie genui te!* et rursum: *Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium!*

Ac ne id quispiam Nestoriano sensu ad Verbi divini generationem potius quam ad virginalis partus divinam ex Deo generationem referendum putaret, ipse sensum auditoris praevenit atque

†) haereditaverit (?).

dirigit, ad eam specialiter nativitatem praemissa scripturae testimonia docens pertinere, quia in orbem terrae Dominus Jesus introductus est. Sic enim subsequenter ait: *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorant eum omnes angeli Dei. Et ad angelos quidem dicit: Qui facit angelos spiritus et ministros suos flammam ignis; ad filium autem: Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi, virga aequitatis virga regni tui. Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis prae participibus tuis. Et tu in principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt caeli; ipsi peribunt, tu autem permanebis : et omnes sicut vestimentum veterascent, et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Haec omnia, filio dicta in eo, quo in orbem terrae introductus est Pauli testimonio, didicimus cum his, quae ab eodem Paulo his praemissa sunt. Nam quod ait: *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem (dicit)!* sic accipiendum est, quomodo si dixisset: *Et iterum cum primo genitum etc.*, una videlicet dictione praeposterata, ut praecedentia et subsequentia testimonia ad eam non dubites nativitatem et nativitatis naturam pertinere, quia primogenitus in orbem terrarum introductus est. Nam, etsi homo nondum fuit, quando terra fundata et caeli creati sunt, in eo tamen idem homo in Deum assumptus et natus creationis nomen et dignitatem, quo et filii nomen, haereditavit. Item baptizato eodem Domino audio testimonium paternae vocis ad eum delapsae dicentis: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Ac ne dubium esset, ad quem horum vox ista pertineret, ad Baptistam videlicet an ad baptizatum Jesum : spiritus quoque in specie columbae super eum descendens manere visus est. Quaero autem, cui naturae in Christo baptismus specialius pertinuerit, divinae an humanae. Et puto omnibus palam esse, hominis assumpti quam Verbi assumentis baptismum fuisse, quamvis tamen Deus in homine Deo baptizatus sit. Ad hoc enim et apostoli Pauli suffragatur auctoritas dicentis, quomodo Jesus non semet ipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: *Filius meus es tu; ego hodie genui te.* Quemadmodum et in alio loco dicit: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedeck.* Etenim et sacerdotium Jesu ad eam nemo dubitaverit naturam pertinere, in qua semetipsum immolandum offerens in ara crucis ipse sacerdos et sacrificium

(88) (89)

patrem interpellavit pro nobis. Ad eam ergo naturam testimonium etiam patris in baptismo specialiter pertinere dubium non est, in qua et sacerdos consecratus est.

Et bene convenit; ut quemadmodum in nativitate Domini nostri Jesu Christi tota trinitas operata praesentialiter est — etenim altissimus, videlicet pater sua virtute Virgini obumbravit, spiritus sanctus in Virginem supervenit, ipsum Verbum tanquam immaculatum semen a Virgine conceptum sibi ex ea carnem immaculatam assumpsit —, ita et in regeneratione mystici lavacri tota se trinitas adesse manifestavit. Quanquam majus opus sacramentum incarnationis quam regenerationis mysticae lavacrum sit. Et de hoc nemo dubitat, quin tota trinitas in lavacro mystico affuerit. In incarnationis vero sacramento pro inconvenienti reputant, eo proprietatis suae divinissimo usu patrem esse operatum, quo ipse tanquam sponsus legitimus verbi sui semine incorruptibili animas sanctas foetare ab initio consuevit, ut idem Verbum, quod Virgo corporaliter genuit, prius sancti prophetae ore facundo generaretur, quanquam singulari privilegio et hactenus inaudito operationis usu idem pater Deus una cum Verbo incarnando simul et spiritu sancto in Virgine operatus sit. De resurrectione quoque dominica nemo dubitaverit, quin et ipsa magis ad hominem assumptum quam ad assumentem Deum pertinuerit. Audio tamen et ipsum Dominum Jesum in ea specialiter natura, qua suscitatus a mortuis est, filium Dei sanctificatum. Unde apostolus: *Qui praedestinatus est filius dei secundum spiritum sanctificationis;* qua videlicet sanctificatione ipse secundum spiritum se sanctificantem sanctificatus et confirmatus in aeternitate est. In quo et filius Dei maxime declaratus est ex resurrectione mortuorum ipsius per ipsum et cum ipso et secundum ipsum atque in ipso tam in anima quam in corpore resurgentium.

Ad hoc autem et aliud Pauli testimonium suffragatur in synagoga Judaeorum inter caetera dicentis: *Et nos vobis annunciamus eam, quae ad patres nostros repromissio facta est, quomodo*†) *hanc Deus adimplevit filiis nostris resuscitans Jesum, sicut et in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu; ego hodie genui te.* Itaque ex testimoniis scripturarum fidem in nos confirmantium retinemus Dominum Jesum ex aeterno Deum ex Deo genitum, sicut scriptum est: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te. Hodie* enim dixit propter

†) recte leg. *quoniam;* cfr. Act. XIII. 32.

aeternitatem, *genui* propter perfectionem. Item: *In splendoribus sanctorum,* ait Deus pater, *ex utero ante Luciferum genui te.* (90) In virginalis quoque partus nativitate angeli testimonium palam est ad B. Virginem dicentis: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* In regeneratione quoque patris manifestum est testimonium dicentis: *Hic est filius meus, in quo mihi complacui.* Similiter autem et in resurrectione, qua in immortalitate†) ex clauso et signato sepulcro genitus est, idem extat testimonium patris, ut apostolus in synagoga locutus est: *Filius meus es tu; ego hodie genui te.*

Et hae quidem quatuor numero unius filii Dei nativitates seu generationes sunt. Quarum prima Verbi ex Deo aeternaliter geniti est, reliquae tres, videlicet virginei partus nativitas, baptismi regeneratio, quamvis ei non propter se necessaria, et resurrectio, ad humanam specialius naturam in Christo quam ad Verbi aeternitatem pertinentes. Non minus tamen testimonium tres istae, imo et idem testimonium ex Deo patre simul et ex scripturis, quod et prima illa consecuta, quatenus sciamus firmiterque teneamus, non minorem apud dilectionem patris istam dignationem filii existere, quam aeterna illa patrique consubstantialis nativitatis dignitas est. Et quatuor quidem has filii Dei, ut ita dixerim, generationes ex scripturis simul et ipsius patris testimonium habentes advertimus. Non quod eum totiens Deus pater de sua substantia genuerit. *Semel enim loquitur Deus,* ait scriptura, *et secundo id ipsum non repetit.* Semel de sua substantia hunc unum genuit filium, et secundo id ipsum non repetit, ut secundo de sua substantia vel hunc vel alium generet. Neque enim hunc semel de paterna substantia natum necesse est iterum de paterna substantia nasci; alio vero gignendo opus non est, nec ratio summae trinitatis hoc sinit. Non igitur, inquam, quod totiens, id est quater eum Deus pater de sua substantia genuerit, sed quod semel de sua substantia genitum in caeteris quoque tribus generationibus suum unicum et proprium filium recognoverit. Et illa quidem aeterna ejus ex patre nativitas, ut ait Ambrosius in Lucam, divinior est; ista vero ex Deo et Virgine in hominem Deum nativitas mirabilior. Nam illa secundum naturam est, Deum ex Deo essentialiter nasci; sicut quodlibet animal generat simile sibi. Ista vero nativitas Dei ex Virgine atque hominis ex Deo, etsi supra naturam ac praeter naturae con-

---

†) immortalitatem (?).

suetum usum est, non tamen contra naturam est, eo quod divinitas ad humanitatem non penitus oppositae formae sint, sed ita socialis atque ita una alterius capax atque altera alterius capabilis sit, ut ex duabus unus verus et perfectus utriusque naturae subsistens nasci potuerit et natus sit. Et has duas vere et usualiter ac principaliter Christi nativitates dicimus, quarum utraque substantiva et substantialis est. Nam et aeterna illa nativitate Deo substantialis
(91) et consubstantialis filius natus est. Unde istas duas nativitates substantivas dixerim, quibus idem filius Dei in quid, id est ut sit Deus et homo, natus est. Reliquas vero duas Christi generationes, videlicet mysticae regenerationis lavacrum et resurrectionem ex mortuis, non ita principales ac propriae†) vel usualiter dici nativitates putaverim, eo quod idem filius Dei in eis non in quid, sed in quale, ut ita dixerim, et in quantum natus est, nisi quod non recte dicitur quantus, qui immensus est. Habent tamen et istae duae nativitates a Deo patre, ut ante praemisimus, testimonium, voce patris delapsa ad eum in baptismo: *Hic est filius meus dilectus!* et de resurrectione, ut apostolus ait: *Filius meus es tu; ego hodie genui te.* Nempe in baptismo apparente et requiescente super eum spiritu pontifex a Deo patre consecratus et declaratus est, non quod tunc gratiam faciendi miracula et docendi acceperit, sed quod ex tunc gratia et veritatis plenitudo in ipso apparere et cunctis nota fieri debuerit, quam natus accepit, sicut scriptum est: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a patre plenum gratia et veritate.* Quid enim vel ille homo, gratia semota, plus quam caeteri homines habuisset? Quid vero illi plenitudinis gratiae defuit, qui super omnia benedictus Deus fuit? Dum vero et in hoc natus est, plenus et veritate visus est. Qui plenus veritate ab apostolis testificantibus visus et manibus contrectatus non fuisset, si in Deum non natus, sed in filium Dei adoptatus fuisset. Plena enim veritate solus hic filius est, qui non adoptione aut imitatione solum, sed nativitate naturae filius est. Et vere plenus gratia et veritate hic ab apostolis visus est, siquidem et mater ejus plena gratia salutata ab angelo est. Quae nimirum et ipsa gratia plena salutata non fuisset, si aliquid ei gratiae, quae in feminam conferri a Deo poterat, defuisset. Plenitudinem namque gratiae in virginem matrem collatae in filio cernere est, qui plenus gratia et veritate, tanquam unigenitus a patre visus est, utpote in quem indivise omnem potestatis suae plenitudinem, omnes divitiarum suarum

†) proprias vel proprie (?).

thesauros aeternos, omnes gratiarum et bonitatis suae apothecas contulerit.

Unde et hoc de illo patris testimonium est: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui!* eo quod consubstantialem omnipotentiae, sapientiae et bonitatis suae imaginem in eodem filio agnoverit. Quo autem putabimus specialius demonstrationem dicentis: *Hic est filius meus!* pertinuisse, quam ad hominem, qui baptizatus corporaliter est, cujus in cruce obedie obedientiam obedientiam homo ad vitam non minore sapientia et bonitate atque fortitudine ad vitam reparatus est?†) Quia in principio a Deo patre idem homo per eundem filium suum creatus est, cujus nimirum obedientiae mortis Christi baptismus in aqua initiale quoddam procemium fuit. Unde et illud verbum est dicentis: *Sic enim* (92) *decet nos adimplere omnem justitiam!* et illud quod de morte sua dixit: *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coartor usque dum perficiatur.* Igitur in baptismo descendente columba et manente super Dominum, testimonio quoque paternae vocis audito: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui!* natalis sacerdotii ejus consecratus est. Amplius autem et in resurrectione filius Dei declaratus est, cum absorpta mortalitate avita in omnimodam divinae immortalitatis et immutabilitatis similitudinem est reparatus, ut sicut de prima, ita et de hac ultima ejus nativitate dici conveniat: *Filius meus es tu; ego hodie genui te:* ut *hodie* dictum sit propter immutabilitatis aeternitatem, *geniti* propter perfectionem. Et in his omnibus testimoniis nusquam homo a Deo vel Deus ab homine discretus est, ut sic diceretur vel intelligendi ratio daretur: *Filius meus es tu* secundum tuam deitatem, et filius matris tuae, non meus, secundum tuam humanitatem: quin potius ipsum filium suum in ea forma substantiae nunc suum sibique conformem factum per resurrectionem recognoscit, in qua prius paulo minus ab angelis minoratus dissimilis ejus aeternitati ac majestati extiterat.

Sed objiciunt nobis illud apostoli, quo ait: *Memoriam vestri faciens in orationibus meis, ut Deus Domini nostri Jesu Christi, pater gloriae, det vobis spiritum sapientiae et revelationis.* Quod exponens Hilarius item in undecimo libro de Trinitate dicit: Ubi enim Jesus Christus est, ibi Deus est: ubi vero claritas est, ibi pater est. Qui igitur Christo secundum claritatem pater est, idem

†) totum hoc enuntiatum ita mutandum sit: *cujus in cruce obedientia homo non minore etc.*

Christo secundum Jesum Deus est. Et aliquibus interpositis annectit: Quaedam, inquit, juxta capacitatem sensus nostri proprietas expressa est: ut Christus, ubi claritas est, ibi Deus pater ejus sit: ubi vero Christus Jesus est, ibi pater Deus suus sit. *(XI. 17.)* Sed in his Hilarii verbis iterum advertendum, quod Deum Christi ubi est Jesus, ubi Deum ejus dicit, ibidem Deum patrem etiam ejus esse non contradicit. Hoc enim si diceret, evangelio contradiceret, ut legimus ad B. Virginem ab angelo dictum: *Ecce concipies et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum; hic erit magnus et filius altissimi vocabitur.* Et in subsequentibus, cum Virgini modum efficientiae inquirenti idem angelus modum edixisset, subjicit: *Ideoque et quod nascetur ex de sanctum, vocabitur filius Dei.* Unde bene cavit Hilarius, cum Deum patrem claritatis diceret, ne patrem Christi, ubi est Jesus, id est homo de Virgine,
(93) Deum esse contradiceret.

Sed objiciunt nobis, quod B. quoque Hieronymus idem capitulum tractans in expositione epistolae ad Ephesios et verbis quibusdam ab Hilario mutuatis utens sic dixerit: Ubi Christi gloria est, ibi tantum pater dicitur: ubi Jesus, ibi Deus ejus absque additamento aliquo nominatur. Sed sciant, B. Hieronymum determinationem *tantum* non ad hoc adhibuisse, ut ipsi arbitrantur, quomodo si diceret: Ubi Christus gloria est, ibi tantum pater, et non alias, ubi Jesus — hic enim esset sensus evangelio contrarius —; sed sic *tantum* appositum, ut sit sensus: Ubi Christus gloria est, ibi tantum pater subauditur et non Deus. Hic enim sensus et evangelio consonus est et satis contra Arianos facit, Christum eo etiam, ubi gloria est, Deum habere super se asserentes. Sciant quoque simul adversarii nostri et ex parte hac etiam adversarii evangelii, piorum esse lectorum, inter quos esse cupimus, sic legere tractatorum paginas, ut, ubi plane scripturae canonicae consonant, ea, quae dicuntur, sic dicuntur(?), absque offensione quasi a matribus masticata, a filiis esse glutienda. Ubi vero iidem tractatores, contra haereticos vel inter auditeres infirmos loquentes, vel in dextram partem vehementia sermonis velut homines excedunt aut excessisse putantur vel citra quam oportet propter imbecillitatem auditorum remanent, ibi pii lectores, exercitatos sensus ad discretionem boni et mali habentes, verba ipsorum ad ecclesiasticum et evangelicum sensum studebunt reducere, aut, si id non valent, satagent eos, quoad poterunt, vel imbecillitate auditorum vel haereticorum nimia obstinatione excusare. Sic B. Hilarius in decimo

libro paene in dextrum vehementia sermonis excessit; ubi, nisi pium et exercitatum habuerit lectorem, Christum putabitur asserere in passione non doluisse. In tanta enim vehementia Christum etiam in humanis, sicut et vere est, Deum esse asserebat. Hic vero in undecimo nisi item pium et discretum lectorem habuerit, videbitur ipse, quemadmodum et Hieronymus in epistola, citra perfectae confessionis limites de hominis Christi ad Deum et ex Deo filiatione remanere; quod tamen veniale sit, maxime cum contraria non asseruerit.

Sic vero et B. Augustinus in homilia de verbis Christi in oratione ad patrem dicentis: *Clarifica me tu, pater, apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus fieret, apud te!* (94) propter imbecillitatem auditorum humilius, quam oportuit et quam personam orantis deceret, exposuit, hoc dicens, filium orasse, ut nunc reciperet gloriam in tempore, quam ab aeterno apud patrem habuit in praedestinatione. Hoc enim et cuilibet electorum orare competeret. Unicus vero filius, ut Hilarius sublimissime ac divinissime intellexit et granditer libro nono intonuit, eam gloriam carni suae sibique secundum id, quod homo erat, petiit, quam in eo, quod erat Verbum apud Deum ex aeterno, priusquam mundus fieret, habuit. Has divinissimas de Christi gloria intelligentiae potentias B. Augustinus, loquens ea quae praedicta sunt ad populum, aut nondum, cum haec diceret, intravit, aut, quod verius creditur quodque ipse fatetur, et si †) sensit, dicere propter imbecillitatem auditorum timuit, ne videlicet, si id, quod Hilarius sensit quodque aperte evangelicus postulat textus et orantis personae singularis requirit dignitas, dixisset, homo non jam tantum assumptus in Dei glorificantis gloriam, sed etiam absumptus putaretur. Alias vero Augustinus quid de gloria illius hominis sentiat, non tacet, cum dicit homini, non Verbo, nomen quod super omne nomen est donatum, *ut in nomine Jesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris.* Et nos quidem possemus patrum dicta, Christi secundum carnem quoque natalibus divinis gloriam quoque paternae gloriae non inferiorem testificanda huic opusculo nostro intexere. Hoc a magistro nostro G.*) ad archiepiscopum Salzburgensem scribente jam factum est, et nos id ipsum in calce opusculi faciendum distulimus, ne totiens sermonis nostri textus intercideretur, quotiens

†) etsi (?). — *) Gerocho.

aliquid testimoniis patrum asserendum incidisset. Tum vero etiam id patrum testimoniis asseremus, quod separatim de assumente et assumpto, de carne Christi vel anima et earum potentiis sine Verbi assumentis respectu disputandum non sit, quasi scorsum assumpto ab assumente statuto. Etenim qui id faciunt. Christum in Verbum, animam et carnem tripartientes, ac seorsum quasi de partibus disputantes difficillimum est errores perniciosos non incidere. Quod nostri temporis scholasticis accidit, his potissimum, qui dicunt, hominem in Deum assumptum non latria, sed dulia venerandum; non toto corde, sicut oportet, Deum, nec tota anima seu mente diligendum, sed in eo praecepto dilectionis contineri, quo praecipimur proximum nostrum sicut nosmetipsos diligere. Quod in Sententiis Petri Longobardi simul et in Glossis ejus super Psalmos de adorando scabello pedum Dei invenitur. Qualis error et istos, contra quos nobis specialis contentio est, obtinuit. Qui in capitulo, in
(95) audientia multorum clamare non timuerunt, assumptum a Verbo hominem patre minorem esse in omnibus, id est, nec in potentia nec in sapientia nec in ullo ei bono esse aequalem aut unquam posse aequari, cum Athanasius dicat, secundum humanitatem solum Christum patre esse minorem. Quod nos eum de naturae solum credimus conditione locutum, non etiam de naturae privilegio; de natura qua homo est, non de illa quae homo est, *Christus Jesus, qui est super omnia Deus benedictus in saecula:* de humanitate, inquam, de forma, qua homo est, et non ipsa homo est (sicut corporeitate corpus est, nec tamen ipsa corpus est; etenim in creaturis res naturae natura non est, et e converso), non etiam de humanitate, quae homo Christus est, id est de perfecto ex anima rationali et humana carne subsistente. Non quod duae sint humanitates in Christo, sed quod nomen humanitatis aliter attenditur significans formam, qua homo est quaeque homo non est, aliter significans formatum, quod homo est. Sed neque de subsistentiis naturae vel partibus, id est anima Christi vel carne sine honore sui privilegii catholicus vir sufferre disputationem debet, ne simplicitatem fidei Christianae colloquia mala corrumpant. Colloquia sane mala dixerim, quae praeter evangelicae locutionis normam de Christo praesumuntur. Etenim in evangelicis dictis edocti sumus, Christum in omnibus et in singulis essentiis, videlicet in carne sua, in anima et in Verbi nominatione accipere, ut est: Christus simul cum patre in caelo, Christus in sepulcro, Christus in paradiso, Christus in inferno. Non tamen tres Christi, sed unus est

Christus. Nam et corpus Christi per se vel ad se Christus dicitur; sed quia divinitate unctum sit et animae suae ac Verbo personaliter unitum, non illud corpus corporibus nostris seu cadaveribus aequandum, eo quod de spiritu sancto cum anima rationali in Deum vivum et verum et vivificantem conceptum sit.

Similiter et de anima Christi vel de sapientia ejus aut potentia separatim disputare, scrupulosum est nec liberum esse debet. Hoc enim qui facere tentaverit, quamvis sublimissime intellexerit et asseruerit, eandem animam non minus sapientem esse ipso Dei Verbo et aeterna Dei sapientia, quo eadem anima sapiens est: incongruum tamen mihi videtur, eandem animam sapientiam Dei esse, negare, eo quod in singulis Christi essentiis, unctionem divinam et sine mensura habentibus, Christus totus intelligendus sit, de quo non dubitamus, quin ipse sit Dei virtus et Dei sapientia. Hac sapientia †), id est substantialiter divinitate sapiens anima, imo vero Christus in anima sua, qui totus est in singulis et in omnibus tribus essentiis, ex quibus ipse est et quae omnes et singulae secun- (96)
dum evangelium ipse sunt — unde est, quod tristante anima sua se coarctari dicit, usque dum perficiatur; et quod corpore suo ad sepeliendum uncto: *Ad sepeliendum,* ait, *me fecit!* unde sapientiam haec eadem esse, negare, quae omnia et singula Christus esse negari non possunt, durum est — haec inquam, sapientia, id est Deo substantialiter sapiens anima portas inferi ingressa percussit superbum, vulneravit draconem, fauces Leviathan divinitatis suae ferreo robore gustata transfixit (quod utique sapientissime ac fortissime factum est): et ipsa esse negatur sapientia, cum Christus et Christus esse negari non possit.

Hoc unum est, quod utinam noster Hugo, vir illustris, non dixisset, de Christi anima ejusque sapientia sublimiter disputans. Dixit enim, aliud esse sapientia sapere, aliud sapientiam esse, dans intelligi, velle se dicere, Christi animam sapientia quidem sapere, sed sapientiam non esse; quod dure nostrae pusillitati dictum videtur, eo quod anima Christi secundum evangelium nominata Christus nominatus sit. Sane aliter nominare Christum vel ea, quae Christi principales essentiae sunt, quam in evangeliis ab ipso et se et sua nominante sumus edocti, praeter ecclesiasticum loquendi usum ego esse putaverim. Aliud quoque inter multa clare dicta circa principium sententiarum Novi Testamenti dixit, quod utinam non dixisset, Christum videlicet in eo quod homo est filium Dei

†) haec sapientia (?).

non esse. Quod ego miror tantae eruditionis viro accidere*) potuisse, et ei, qui tam clare testificatus in eisdem sententiis sit Christum totum Deum, totum hominem, totum Dei patris, totum et Virginis matris filium; quemadmodum et in naturalibus exemplificavit, Isaac totum Abrahae, totum et Sarae filium, id est non solum in his, quae de utriusque parentis substantia naturaliter sumpta sunt, singulariter singulorum parentum esse filium, sed et in his, quae per utriuslibet parentis amorem ab altero in conceptus originem prodissent, totaliter utriusque parentis esse filium. Qui et dicere non dubitaverit, Deum sua humanitate esse hominem, hominem sua divinitate esse Deum. Quod si dicens de Christo et ejus humanitate, in qua filius Dei non est, hoc sensit, quod humana Christi natura de patris substantia non processerit, sensum quidem ejusmodi approbamus, sed verba evangelicis verbis quasi contradictoria acceptare non possumus; si quidem valde contrarium sonat, Christum in eo quod est homo filium Dei negare, et quod ab angelo Virgini futurae matri dictum est: *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* An forte in his dictis tam clari viri atque doctoris non est pensandus sensus†), quem verba faciunt, is potius, de quo fiunt, ut, quod dixit: In quo filius Dei non est! non sit aliud, quam si dixisset: In quo de essentia patris Dei non processit. Etenim, ut nos docet Hilarius, sensus dictorum de causis dicendi sumendus est. Quod etsi ita est, tamen ea, quae
(97) dicta sunt, aliter eum dixisse vellemus, ut inter verba ipsius et evangelium nulla sonaret contrarietas. Sic autem et illud Hilarii de synodis, quod nobis objiciunt, plane absolvitur dicentis: Qui dicit Deum patrem dissimilis essentiae, anathema sit *(472. VII.)!* primo quia et talia dicenti contra Arianos sermo fuit, et de sacramento incarnationis non tractavit. Verum dicta ad aliud usurpare, hoc non est intelligentiam dictorum ex causis dicendi sumere, sed quasi lancea velle arare est et vomere uti pro jaculis.

Pensandus est autem et in his dictis Hilarii non sensus, quem verba faciunt, sed de quo sensus fuerit. Etenim sensus, quem verba faciunt, cum plane sit evangelio contrarius, dicente angelo ad B. Virginem: *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei!* hic sensus nobis in verbis quaerendus et tenendus est, qui evangelium non oppugnet, sed secundum evangelium sit. Alioquin nec ipsum Hilarium, sed nec angelum de caelo contra

*) *excidere* forte leg. — †) sensu (?).

evangelium audiremus. Cognoscendus est ergo sensus Arianorum, contra quem verba fiunt, ut ex causis dicendi intelligentia dictorum sumatur. Dicebant Ariani filium ante saecula non ex patris essentia genitum, sed ante omnes creaturas singularis dignitatis privilegio a patre creatum; nec esse ejusdem, sed nec similis essentiae cum patre. Hunc ergo pravitatis errorem secundum concilii sententiam et Hilarius anathematizat dicens: Si quis dixerit Deum patrem dissimilis essentiae, anathema sit. Et est sensus: Qui filium, quem catholica veritas ejusdem ac similis essentiae cum patre praedicat, dissimilis essentiae a patre dicit, anathema sit. Alioquin eo sensu, quem verba faciunt, omnes nos anathematizati essemus, qui Deum patrem nostrum invocamus, cum tamen dissimilis nos essentiae fateamur. Sed et patres sancti, Ambrosius, Augustinus, caeterique, qui Christum secundum carnem quoque sive utraque substantia, divina scilicet et humana, unicum Dei patris omnipotentis filium asseverant, de quo procedit spiritus sanctus, eidem anathemati subjicientur, siquidem eadem humana substantia Dominum Jesum dissimilis essentiae a patre fateri necesse est. Unde oportet, ut verba haec Hilarii soli illi errori, contra quem dicta sunt, applicentur, et ex causa dicendorum intelligentia sumatur dictorum. Est autem in eisdem dictis hic loquendi modus, quem grammatici hypallagen vocant, id est mutationem casuum dicunt; quale est et illud in Genesi de Benjamin, filio Jacob: *Hunc enim solum habet mater sua!* pro eo ut diceretur: Hic enim solus superest ex filiis matris suae. Jam enim mater ejus Rachel dudum obierat, et nec hunc (98) nec alium filium habebat. Jam vero et praedicti haeretici Ariani in neutra substantia Deum patrem Domini nostri Jesu Christi vere fatebantur, nisi quemadmodum et nobis pater est; unde nec contra eos aliter, quam diximus, intellecta sententia faceret, qui Deum patrem Domini nostri Jesu Christi, quem dissimilis essentiae fatebantur, non vere patrem ejus generationis proprietate, sed ex creationis jure et gratiae privilegio dicerent. Sic ergo accipiendum est, quemadmodum diximus, quod ait Hilarius: Qui dixerit Deum patrem dissimilis essentiae, anathema sit; quomodo si dictum esset: Qui essentiam filii, quam nos catholici confitemur, ex patre genitam, dissimilem patri dixerit, anathema sit.

Nec tangit nos aliquatenus anathema illud, qui et filium in eo quod aeternus ex aeterno est ejusdem cum patre ac similis essentiae confitemur, in eo vero quod homo est non quidem ex patris essentia processisse, sed tamen secundum evangelicam veri-

tatem Dei patris unigenitum dicere non dubitamus, eo quod eum Virgo non ex semine corruptibili, sed, sicut ait Petrus, incorruptibilis verbi Dei vivi et permanentis, verbo videlicet Dei suo immaculato sanguini unito genuerit, spiritu sancto in eam superveniente et virtute altissimi Virgini obumbrante, ut ejus etiam secundum carnem, altissimi videlicet patris, proprius, unicus, unicus et naturalis rectissime dicatur filius: ex quo et Verbum substantivum, incorruptibile videlicet semen, in Virginem processit, cujusque spiritus in Virginem foetandam supervenit, et cujus virtus Virgini ad conservandam substantiam seu florem virginitatis obumbravit. Verum his expeditis provocamur ad evangelium, ubi idem Dominus Jesus, a matre super miraculo aquae in vinum convertendae conventus, respondit matri dicens: *Quid mihi et tibi est, mulier?* Hoc enim sic dictum quis forte arbitratur, quasi ejus naturae, cujus virtute miracula facturus erat, B. Virginem matrem esse negaverit. Deinde vero cum in cruce positus eidem dixit: *Mulier, ecce filius tuus!* ejus solum naturae, in qua patiebatur, eam matrem recognoverit.

Sed hic sensus Nestorianus, Pauli quoque Samosateni et Photini error est, jam olim damnatus. Est autem ratio, quare illic matrem quasi non cognoverit miracula facturus, et quare cognoverit in cruce suspensus. Etenim tum mater erat circa filium materno affectu solicita; ejus quoque temporalem zelabat gloriam. Unde cupiebat, ut miraculum operans omnibus innotesceret, qualis quantusque esset et quid posset. Sed Dominus, qui non venisset facere voluntatem humanam, vel suam vel matris, sed voluntatem patris sui, qui est in caelis, hunc femineum affectum in matre arguit, et ad faciendam voluntatem patris se accinxit, juxta illud
(99) legis benedictionale verbum: *Perfectio tua et doctrina tua viro sancto tuo, quae probasti in tentatione et iudicasti ad aquas contradictionis. Qui dixit patri suo et matri suae: Nescio vos! et fratribus suis: Ignoro illos! et nescierit filios tuos*†): *hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt, judicia tua, o Jacob, et legem tuam, o Israel; ponent thymiama in furore meo etc.* Ad hujus legalis verbi impletionem et illud pertinet, quod alias etiam, doctrinae instans, cuidam de matre ac fratribus suis interserenti ait: *Quae est mater mea et qui sunt fratres mei etc.?* Etenim Dominus Jesus, qui non venit legem solvere, sed adimplere, nullam unquam perfectionem legis praecepit vel

†) suos (?).

docuit, quam non prior ipse implevisset, juxta illud: *Quia coepit Jesus facere et docere.* Itaque dicturus discipulis suis: *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem suam, non potest meus esse discipulus!* fecit ipse prius, quod erat praecepturus. Perfecturus patris voluntatem et ad bellum se contra principem hujus mundi, diabolum, accingens bellique stola se vestiens carnali affectu matrem interim ac fratres non cognovit; quam tamen matrem, consummato bello et peracta victoria patrisque voluntate completa, cum jam eum vulneratum recepisset, matrem eam†) filiali affectu recognovit, utpote materne in passione erga filium affectam atque per hunc ipsum dolorem, animam ipsius pertranseuntem, matrem ecclesiae mox futuram. Unde et B. Joannes ei proxime in filium consignatur, siquidem ipsa ejus mater in fide et singulari compassionis dolore nec non aliorum condiscipulorum effecta est, quos et Dominus, resurgens a mortuis, fratres compellare non dedignatur. Ad hunc ergo sensum pertinet, quod subjunxit dicens: *Nondum venit hora mea!* nondum venit hora clarificationis meae, quam vehementi desiderio exspectans, pro qua, cum venerit, dicam patri: *Clarifica me tu, pater, apud temet ipsum etc.*

Aliter: *Quid mihi et tibi est, mulier?* Quia Dominus noster Jesus Christus, Dei filius, Deus et homo est, Deus ex substantia patris ante saecula genitus, et homo ex substantia matris in saeculo natus; ex paternae substantiae ante saecula generatione simul et temporali ex spiritu sancto et virtutis altissimi obumbratione completa nativitate habuit, unde miracula faceret: recte, miraculum facturus, dixit matri: *Quid mihi et tibi est, mulier?* Quia vero ex materna et maternae haereditatis facultate id solum habuit, unde pati potuisset, recte in cruce dixit matri: *Ecce filius tuus.* Nam quod eadem B. Virgo mater Verbi Dei materque Dei dicitur (100)
et est, inde procul dubio est, quod verum Emmanuel in sua alvo gestavit, et substantiam propriae carnis Verbo humanando et humanato atque in nostris crementa capienti ministravit; quod eundem verum Deum et hominem sicut Virgo concepit, ita quoque integerrima genuit et lactavit; quod Deum verum ulnis prona trementibus portavit; quod mater sui creatoris facta est; quod totum non de maternae haereditatis, non de Evae aut ullius filiorum seu filiarum ejus facultatibus habuit, sed hae omnes facultates ex sponsi sui Dei ineffabilibus divitiis in eam collatis processerit.††) Igitur

†) suam (?). — ††) processerunt (?).

Dominus Jesus, ab eadem matre sua de miraculo conventus, matrem propriae conditionis, quidque ipse de illius solum propriis haberet, commonuit, ne forte miraculo per filium peracto eam vel levissimae elationis, ut se humana fragilitas habet, tentatio percelleret, signaculo filialis commonitionis praemunitam. Dicit ergo illi: *Quid mihi et tibi est, mulier?* quid mecum de miraculorum operatione tractare habes, cum propriae conditionis natura non aliud sis, quam mulier, et ego ex tui generis substantia aliud non habeam, nisi in quo patior? Cujus tamen passionis, in qua palam erit, quid ex te habeam, tempus vel hora nondum venit. Quae cum venerit, cum me suspensum in cruce dolenter aspexeris, dicam tibi: *Ecce filius tuus!* quatenus et illa hora, cum animam tuam gladius pertransiet. Ego quoque verbo filialis dilectionis vulnifico animam tuam humiliter, quatenus omnibus his humiliata et moestificata resurrectionis et ascensionis meae mox futurae gloriae et gaudiis praepareris, sicut scriptum est: *Ante ruinam exaltatur cor, et ante gloriam humiliatur!* quando mundus quidem gaudebit, tu autem una cum discipulis contristaberis: *sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Et haec dicimus, non quod B. virginem Verbi Dei sive filii Dei matrem negemus — etenim unus est filius Dei patris et Virginis matris, Deus et homo Dominus Jesus Christus —; sed ut, idem Dominus Jesus quid ex matris et quid ex patris essentia traxerit, ex ejus verbis, quae ad matrem vel miracula facturus vel in cruce patiens protulit, asseramus. Alias vero divinitatis acquirendae ad hominem et humanitatis suscipiendae in Deum ipsa vera legitima et naturalis mater extitit, in qua nec fides nec sacramentum nec spes prolis nec consensus conjugalis vel matronalis, quae principalia bona etiam carnalis conjugii sint, inveniuntur defuisse.

Nam praeter id, quod erga Joseph, virum suum, fidem servavit, de quo tamen spem prolis non habuit, quanquam ei conjugaliter cohabitare permanente virginitate consenserit, ut vere conjux ejus dici potuerit, licet eam non cognoverit: et Deo patri, caelesti sponso, fidem cum spe prolis exhibuit, quia de illo prolem speravit, cum diceret ejus nuntio Gabrieli: *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Huic fidei ac spei accessit magnum sacramentum,
(101) quo sponsa talis tali sponso juncta est, unus cum eo spiritus effecta juxta illud: *Qui adhaeret Deo, unus spiritus est.* Adhaesit autem illa Deo per fidem. Etenim nisi fides ejus intervenisset, qua credens Angeli verbis Verbi Dei substantivi capax effecta est quaque mater non solum Christi, sed et totius christiani populi mater est

effecta: nec Deus in hominem nec homo in Deum per eam natus fuisset. Quod vero credidit, videlicet sine viro matrem se fieri posse filii Dei, hoc et perficiendum speravit. Nam nisi sperasset, ad consensum sacramentalem spiritualis inter se ac Deum unionis non venisset, quoniam Deo adhaerens unus cum eo spiritus effecta est, adeo ut tota in se sancta trinitate manente et operante Verbo Dei substantivo foeta effecta sit, quod etiam in se de sua substantia incarnatum Deum nobis et hominem genuit. Verba namque legitimi et sacramentalis consensus in Virgine ista fuerunt: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*

Non autem ab re esse arbitror, quod nobis ista tractantibus evangelii mentio inciderit, in quo legitur Dominus ad manifestandam gloriam suam aquam in vinum convertisse. Non enim parva similitudo hujus miraculi, quod in Virgine peractum est, in primo illo miraculo Dominicorum praefulget operum. Etenim sex hydriae aquae impletae sex aetatum mundi decursum, sex quoque primorum dierum operationem figuraliter exprimunt. Etenim sex aetatum mundi secundum scripturas decursio historica et sex dierum creationis ratio physica, quae tota in uno invenitur homine sexto die condito: omnia, inquam, haec quasi aqua quidem dulcis et potui apta extitere, donec sexta aetate concepto et nato†) Christo in carne atque homine in Deum provecto aqua eadem in B. Virginis alvo in vinum conversa est maximo et cunctis saeculis hactenus inaudito miraculo. Primo hujus vini odor per matris prophetissae haustum Joannis architriclini pectus adhuc in utero clausi contigit, quo refectus atque imbutus, quoad potuit, in occursum domini sui exultavit. Qui etiam natus jamque baptizans eum††) ad Jordanis fluvium, viso eo et baptizato ab ipso, spiritum super eum descendentem sicut columbam et manentem super eum vidisset, vocemque patris audisset: *Hic est filius meus!* cognovit, eum verum ac solum esse baptistam, verumque agnum, qui pecata mundi tolleret; quasi plenus visionis ejus gratia deebriatus vocat eum sponsum ecclesiae dicens: *Qui habet sponsam, sponsus est!* se quoque amicum ejusdem sponsi et quasi nuptialis convivii architriclinum intimans: *Amicus,* inquit, *ejus stat et audit eum, et gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Ante vero, ut ipse fatetur, nesciebat eum, sicut de architriclino scriptum est: *Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, et nesciebat unde esset.*

---

†) ms. bis t. *nato.* — ††) cum (?).

**) Persensit enim et adhuc in utero vini hujus optimi virtutem, praegustavit, atque exhilaratus exultavit, sed, unde esset, scire adhuc per intellectum non potuit. *Ministri autem sciebant, qui hauserant aquam.* Sciebant patriarchae, patres Domini Jesu secundum carnem, Abraham, Isaac, Jacob et David, ad quos promissio facta est, qui quasi columnae sublimes hujus aquaeductus*) in vinum convertendae ministri et bajuli extiterunt. Sciebant et prophetae, qui ejusdem generationis administrandae et ipsi pro suo officio in spiritu bajuli et praecones fuerunt. Unde ab uno ipsorum dictum est: *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Item alius: *Faciet,* inquit, *Dominus novum super terram, femina circumdabit virum.* Ipse quoque miraculi operator Dominus Jesus, ipse vinum novum laetificans cor se ipso operante ex aqua nostri generis factus, quasi dixit ministris convivii nuptialis: *Haurite nunc!* cum stans in templo ait: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat.* Item mulieri Samaritanae: *Qui biberit ex aqua, quam ego do, non sitiet iterum; sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.* Ipse item: *Venite,* ait, *ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Hoc, inquam, totum est dicere: *Haurite nunc!* Senserunt illi vini hujus virtutem et calorem, qui coambulantes nec Deum tamen cognoscentes postmodo dixerunt: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, in via dum loqueretur et aperiret nobis scripturas?*

Et quid in isto miraculo vini ex aqua facti novitati miraculi, quod in Virgine ac per virginalem partum factum est, invenitur dissimile? Noluit Dominus de nihilo vinum illud creare (quod nihilo minus potuisset), sed aquam in hydrias congestam, manente quidem ac permanente ipsius liquoris substantia*), vini virtute inducens in vinum verum convertit; imo et melius inventum est vinum de aqua miraculi novitate factum, quia†) vinum de vitis genimine sumptum. Ita namque et in Domino Jesu naturae nostrae fluidae sexto die, credite, substantia conservata est; sed eadem divina virtute spiritus principalis substantialiter induta est, ut nobis vitam et aeternitatis laetitiam conferre potens sit. Unde exhilarati dicamus, maxime vero hi, qui ecclesiarum architriclini sunt: *Tu*††)

*) *et hujus aquae;* haec in ms. desiderantur.

**) divinitatis leg. videtur.

†) quam (?). — ††) ms. t. *qui.*

autem servasti vinum bonum usque adhuc. Fuit enim bonus Moyses famulus Domini, bona etiam sancta et justa lex per ipsum ministrata, boni patriarchae et prophetae, ad quos sermo Dei factus est quique dii inter homines vocati sunt: sed nemo eorum substantialiter bonus. Nam et *lex nihil ad perfectum eduxit;* prophetiae quoque cessaverunt et cessabunt.

Sed Dominus Jesus essentialiter bonus est, ea bonitate, qua *nemo bonus nisi unus Deus.* Ecce enim plus quam Moyses, plus quam Salomon, et plus quam Jonas hic. Fuerint illi vinum pro
sua qualitate bonum, utpote accidentali bonitate, et ipsi dicti boni (103)
vel dii: sed nemo illorum sicut Deus vel bonus,†) quemadmodum is, de quo dicitur: *Tu autem servasti vinum bonum usque adhuc!* cui soli divinitas vel bonitas per formam diffinitionis convenit. Neque enim Christus Deus vel bonus in quale, quemadmodum quispiam ex nobis, sed in quid praedicatur: eo quod non solum bonus, sed et ipsum bonum sit. Unde et servatum est illud bonum vinum usque adhuc, et servabitur in aeternum, donec adhuc vel hodie cognominatur. Separent hoc vinum nuptiale sive hujus vini fervorem, si qui poterunt, a liquore aquatico permanente: et in Christo Deum ab homine poterunt separare. Dividat Nestorius Christum in hominem et Deum, in servum et Dominum, in hominem et filium: nobis vero catholicis non est nisi unus Christus et unus filius, isque totus homo, totus Deus, tempore quippe dispensationis corporeae totus in homine servus, nunc vero non servus, sed unum cum patre, et unus apud patrem, et cum patre Dominus.

Quod si objecerint nobis illud Hieronymi, in explanatione epistolae Pauli ad Ephesios dicentis: Non quod non habuerit etiam secundum carnem potestatem animae suae ponendae et iterum resumendae ejus; *nemo quippe tollit eam, nisi ponat illam a semet ipso;* sed quod juxta dispensationem carnis et filii homo et filius a Deo et patre resuscitatus esse dicatur: dicimus eis, quod non bene advertunt, B. Hieronymum hic etiam secundum carnem Christi omnipotentiam asserere, dum eum et secundum carnem animae suae ponendae et iterum sumendae potestatem confitetur habere. Quod vero ait: Sed quod juxta dispensationem carnis et filii homo et filius a Deo patre resuscitatus esse dicatur, non sic dat intelligere, ut Christum in carnem et filium, sive hominem et filium

†) fort. leg. *nemo illorum sic est Deus vel bonus, quemadmodum etc.* vel *nemo illorum, sicut Deus (sc. est), vel bonus (sc. est), quemadmodum etc.*

dividere aestimandus sit. Etenim cum in dispensatione carnem et filium sive hominem et filium conjungat; cum ad dispensationem sola caro sive humanitas Christi temporaliter acta pertineant: ad ipsam quoque carnem sive humanitatem et filii nomen pertinere in ejus sensu dubium non est, ut, cum in carne vel homine secundum dispensationem resuscitato filius resuscitatus sit, non aliud sit, quod ait, *carnis et filii* vel *hominem et filium,* quam si dixisset *hominis filii* vel *hominem filium.*

Quod si ad B. patris nostri Augustini dicta nos provocant, asserentis in scriptis suis, creaturam nunquam creatori aequari
(104) posse: dicimus eum id sensisse de creatura, quae absolute creatura dicitur, quod de Christo patres vetant dici, quorum item dicta, Deo favente, subnectemus. Si vero etiam objecerint, ipsum B. Augustinum, in homilia jactantem hoc de verbis Domini: *Qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui misit illum!* aequalitatem honoris assumpto in Deum homini quasi velle abrogare; ad quod asserendum pro argumento adhibet, minus esse corpora, quam animas resuscitare, quia videlicet resuscitationem corporum homini assignat, juxta illud apostoli: *Sicut per hominem mors, ita per hominem resurrectio mortuorum!* animarum vero resuscitationem Deo, et sicubi alias eadem vel similia dicit: nos a dictis Augustini his ad alia ejus dicta confugimus, ubi verba apostoli tractans homini dicit datum, non Verbo, nomen, *quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris.* Item ad alia aliorum patrum dicta confugimus, videlicet Ambrosii, Hieronymi, sicut scriptum est: *Si persecuti vos fuerint in civitate una, fugite in aliam.*

Hoc enim non solum in persecutione ob defensionem corporum, sed et in impugnatione fidei fuga spirituali docet B. Hieronymus servandum, ut, cum de uno scripturae sacrae testimonio infestamur, ad aliud fugere nobis liceat, quod pro nobis sit. Etenim Hieronymi super Mathaeum de curatione paralytici tractantis assertio est, aequalis esse virtutis, corpora et animas suscitare. B. vero Ambrosius etiam diviniorem esse dicit resuscitationem corporum quam animarum, eundem locum in Luca pertractans, ut quasi de majore ac manifesto minus et occultius probaretur, dicente Domino: *Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem etc.* Sane ubi patres de uno eodemque inter se variant sententiis, licet

cuique, salva patrum reverentia, quod potius videbitur, eligere, dum tamen id, quod elegerit, contrarium fidei catholicae non sit. Quale illud esse arbitror, quod cum patrum opinione celebri sermone, ut Augustinus ait, vulgatum et in homilia B. Gregorii declamatum est, ut, sicut in corpore ablatus est Helias, ita et in corpore venturus sit et restituturus omnia; quod B. Hieronymus super Malachiam improbans haeresin dicit esse Judaeorum. Quodlibet enim horum elegeris, ad fidei catholicae regulam non attinet. Sane ubi sermo est de his, quae fidem attingunt, et de quibus in evangeliis sive apostolicis litteris certa diffinitio est, quemadmodum de hoc verbo legimus filii confessionem a morte resurgentis, quomodo data sit ei omnis potestas in caelo et in terra: ibi dissonantiam patrum quorumlibet nihili ducimus, maxime si eorum verba ad sensum (105)
evangelicum adducere non valemus. Unde arbitror, B. Augustinum, sua retractantem, aut istud effugisse aut hoc ipso remediatum ab eo esse, dum docet, nos suorum scriptorum lectioni qualiter inservire debeamus. Unde ipse in prologo libri III de Trinitate ait: Noli literis meis quasi scripturis canonicis inservire; sed in illis, et quae non credebas, cum inveneris, incunctanter crede; in istis autem, et quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firme retinere. — Item ipse in epistola ad Hieronymum: Ego solis scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum auctorem eorum scribendo aliquid errasse firmissime credam, aut, si aliquid in eis offendero, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel non esse assecutum interpretem, quod dictum est, vel minime intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, ut, quantalibet sanctitate doctrinaque polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos vel probabiles rationes, quia a vero non adhorreat,†) persuadere potuerunt. — Objiciunt vero adhuc etiam illud Hilarii, dicentis, inferiorem naturam virtutem superioris naturae non posse assequi, atque ad idem pertinere etiam illud, quod in Psalmi versiculo in persona Christi dictum, exponente Cassiano, sic legitur: *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* Scientia tua per primum hominem despicabilis, mirabilis ex me secundo homine facta est: infirmata est per illum, ex me in apostolis meis confortata est, et tamen ego homo non poteram ad eam. Sed item hic subintelligam

†) quae a vero non abhorreant (?).

ex me; et nulla erit contrarietas. Quod enim ex se homine, hoc est ex conditione humanae in se naturae, non potuit, ex unitate sibi paternae sapientiae virtute indeminuta potuit.

Sic autem solvitur et illud Hilarii, dicentis, inferiorem naturam virtutem superioris naturae non posse consequi. Et verum quidem generaliter hoc est. Sed sicut ex se non potest consequi, ita potest, cum id fieri volet Deus, vel opifex natura, vel etiam artifex operarius, per virtutem superioris naturae inferior natura in superioris naturae virtutem assumi. Sic enim videmus miraculo illo evangelico superioris naturae virtute, id est divinae voluntatis tacita operatione, aquam in vini virtutem assumptam. Sic annuatim naturae beneficio aqua calore solis in vitem attracta virtutem naturae superioris, id est vinei fervoris et odoris, saporis
(106) atque omnimodae operationis induit. Sic artificis ope ferrum sive aurum vel aliud metallum igni immissum, quod ex se non potuit, superioris naturae in se operante virtute virtutem operis†) in se operantis naturae, id est urendi potestatem assequitur. Sed, quia id ei accidentale est, eandem quoque virtutem igni sublatam amittit. Verum ea, quae divina operatione seu naturae beneficio, quod item Dei opus est, virtutem superioris naturae assequuntur, ea perpetuum suae virtutis et operationis usum retentant, nisi auctor Deus aliter fieri velit — quemadmodum de serpente ex virga Moysi factum est —, aut naturae corruptibilis materia perpetuum esse non sinat. Unde videmus et optima vina corrumpi posse. Videmus autem ex artificis opere aliqua confecta, ut est vitrum de cinere, quae et ipsa in perpetuum usum perdurent. Possunt tamen eadem et contusa in cinerem redigi, unde sumpserunt originem. At vero Dominus Jesus, non ex semine ut ait Petrus corruptibili, sed incorruptibili nos renatos: Dominus, inquam, Jesus non de semine corruptibili, sed incorruptibili ex Verbo Dei substantivo et permanente in aeternum, virginali sanguini supersubstantialiter unito, de spiritu quoque Dei vivi, qui et ipse aeterna vita de patre procedens est; de virtute quoque altissimi, quem altissimum patrem intelligimus Deum: de his, inquam, et ex his efficientiis supersubstantialibus in nostri generis fluidam essentiam in Virgine et ex Virgine naturaliter et supernaturaliter operantibus Dominus Jesus natus in Deum vivum et verum est, inferiore natura superioris naturae virtute††) perfecte consecuta, non quidem ex se, quod

†) superioris (?). — ††) virtutem (?).

impossibile foret, sed superiori virtute in se operante seque ipsam inferiori naturae communicante; non quidem accidentaliter, ut uni ex nobis vel angelis, sed substantialiter per naturam nativitatis.

Haec autem naturarum, divinae scilicet atque humanae, naturalis atque supernaturalis unitio, virtutisque et operationis utriusque usque†) in alteram naturam concessio et inconfusa unio in cancellatione illa manuum patriarchae Jacob, filios suos quos sibi ex Joseph natos adoptavit benedicentis, mirabili ac propria expressione praefigurata est. Poterat enim idem patriarcha praecepisse, quatenus Ephraim, quem praeferre voluit, a dextris, Manasses vero a sinistris ejus statutus fuisset, ne in cancellatione manuum vir senex et infirmus jamque morti proximus laboraret, nisi in eadem cancellatione spiritus sancti per eum loquens et operans mysterium agnovisset. Quis enim nesciat, per hunc patriarcham Jacob, duodecim filiorum patrem, Dominum nostrum, spiritualem duodecim apostolorum patrem, fuisse praefiguratum, de quibus scriptum est: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii.* Hujus ergo Domini nostri Jesu Christi, veri Jacob, duas agnosco manus, unam divinae potentiae, quae et dextra est, alteram miserationis humanae, quae sinistra. Unde per Psalmistam in spiritu loquentem dictum est: *Semel locutus est Deus; duo haec audivi; quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia.* Quod est dicere: unum filium ge- (107)
nuit Deus, duas in se naturas ac duarum naturarum in se operationes quasi duas manus habentem. Etenim omnipotentia, qua creati, qua judicandi sumus, manus ejus dextera est, de qua in passione ipsius in persona ejus patrem alloquentis canimus: *Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me.* Etenim pater, Deus omnipotentiae, ejus dexteram sua auctoritate pressit ac tenuit, ne se interim contra inimicos Judaeos ultum iret, donec, passionis obedientia juxta patris voluntatem completa, sic tandem assumitur in gloria. Sinistra vero manus ejus humanae miserationis opus est, videlicet incarnatio, passio, resurrectio atque ascensio, et quaeque in horum medio humana pro nobis vel egit vel passus††), sicut dexterae quoque manus ejus opera quaeque miracula intercurrentia extiterunt. Qualiter autem hae manus typice cancellatae sint, docet nos vas electionis Paulus, dicens: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo.* Ecce adhuc manus dextra in

†) haec vox abundet. — ††) passus est (?).

parte dextra — extendit vero eam ad sinistram —, maxime propter nos gentes benedicendas opus fuit. Extensio vero dextrae ad sinistram haec est: *Sed semetipsum,* inquit, *exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Ecce manus dextrae ad sinistram extensio. Verum quia nos longe adhuc in profundum et ad sinistram recesseramus ab eo amplius, eam adhuc extendi oportuit. Unde subsequenter apostolus in gratiarum actione proloquitur, dicens: *Humiliavit semet ipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Ecce manus Christi dextrae ad sinistram per†) extensionem. Non enim erat ultra, quo extendi oportet, quam ut cum iniquis in mortem ignominiosam deputaretur Dominus Jesus. Hactenus enim et nos in profundum et sinistrum recesseramus. Dum ergo Dominum gloriae, ut apostolus ait, crucifixum contueor, manum Christi dextram ad sinistram video. Quae autem est manus nostri veri Jacob sinistra, nisi nostrae, ut dicere coepimus, naturae et ejus quae circa ipsam est infirmitatis a Verbo assumptio? Extendatur autem et ipsa ad dexteram et fiat cancellatio, misericordia et veritate sibi obviantibus, justitia et pace quasi duabus manibus in cancellatione se invicem osculantibus, naturis videlicet duabus in Christo se contingentibus, ut, quatenus essentiarum proprietatibus et earum operationibus discretae sint, tamen neutra earum sine alterius unitate personali subsistat aut sine communione virtutis ac proprietatibus alterius, quod suum est, operetur.

(108) Etenim unitas personalis in Christo, quae unius naturae est, ipsa et alterius est. Erat autem Verbum Deus ab aeterno divina persona, et coepit esse humana. Non tamen persona esse coepit, sicut et ego ens homo, si bonus homo esse incipio, non tamen homo esse incipio; sed nec personam in se duplicavit magis quam ego hominem, bonus homo esse incipiens, cum prius homo fuerim. *Etsi exterior homo noster corrumpitur,* ait apostolus, *tamen is qui intus est renovatur!* non tamen duos in nobis homines asserens, sicut nec nos duos Christos vel duas personas in Christo, dum eum divinam personam ab aeterno scientes et humanam personam, confitemur. Sicut enim ipse ab aeterno unum erat et est cum patre atque unus apud patrem, unum in natura, et ideo aequalis in persona, quoniam tres in trinitate personae proinde sibi coaequales, quod sunt connaturales et consubstantiales — hoc enim est, quod

†) haec praepositio abundet.

apostolus ait: *Qui cum in forma,* hoc est in natura, *Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo,* nimirum in persona —: sic semetipsum exinaniens formam, id est naturam in se nostram accepit, in persona quoque nobis assimilatus est, quemadmodum item apostolus ait, *in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Non ait: In aequalitatem hominum factus, sicut illic in forma Dei non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, in persona scilicet, sed *in similitudinem,* ait, *hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Quis enim ex nobis vel etiam quis in nubibus aequabitur Domino filio Dei jamque filio hominis in persona? Quem namque alium praeter ipsum Virgo concepit, genuit et lactavit? Quis alius praeter ipsum de spiritu sancto conceptus est, virtute altissimi Virgini obumbrante ac Verbum Dei cum carne foeminea in unam personam uniente, ut propter hoc filius Dei unicus et proprius recte dicatur? Unde cautissime discrevit apostolus, in similitudinem eum hominem factum in persona dicens, non etiam in aequalitatem. Aut certe monstrent alium de spiritu sancto in Virginem et ex Virgine matre cum Verbo Dei in unam filii Dei et hominis personam conceptum, confotum et natum, sua, id est ingenita sibi ex patre Dei virtute miracula operantem, mortuos suscitantem, ventis imperantem, super mare ambulantem, in uno loco sedentem, et carnem suam cum sanguine in vitam aeternam diversis ad manducandum et bibendum donantem, sua potestate animam ponentem, et eam iterum sumentem: monstrent, inquam, nobis alium in hominibus, aequalem huic, hi qui audent dicere, Dominum Jesum in eo quod homo est, quod carnem et ossa humana et animam rationalem habet, non esse aliter filium Dei, quam unum ex nobis, in his videlicet, quae ho- (109)
minis propria sunt, filium eum matris solum naturalem, non etiam filium Dei patris asserentes, aut, quia alium ei in hominibus aequare non possunt, id necesse est de ipso fateantur, in his videlicet omnibus, etiam quae hominis propria sunt, esse filium Dei, eo quod in eisdem humanae naturae in sese propriis paternae virtutis aequalitatem sit assecutus, quodque in his ipsis ab angelo filius Dei sit appellatus, dicente ad B. Virginem, matrem ejus futuram: *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.*

Hunc enim sensum non solum, quod neutrale nomen substantivum, sed et etiam†) copulativa requirit conjunctio, ut videlicet

†) aut *et* aut *etiam* abundat.

non solum Verbum a patris corde in Virginem eructatum, sed et quod natum est ex Virgine, substantia videlicet ex Virgine sumpta, ex ossibus nimirum et humana carne atque anima rationali subsistens, totum hoc vocetur filius Dei. Propter hoc enim, ut omne os iniqua loquentium obstrueret, sic angelus ait: *Ideoque et quod nascetur es te sanctum, vocabitur filius Dei!* quasi diceret: Ideoque non solum Verbum, quod ex patris substantia processit, sed *quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Non ait: Qui nascetur ex te sanctus, vocabitur filius Dei —, ne ad personam solummodo respexisse videretur; sed: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei!* sanctum illud significans, quod ex Virgine matre sumptum Deus pater sanctificavit in filium suum juxta illud: *Quem pater sanctificavit, et misit in mundum.* Qui sunt autem contra haec iniqua loquentes? nisi qui ore Judaico et rabida lingua dicere praesumunt: Si hominem illum carnem et ossa habentem filium Dei feceris, aut patri Deo necesse est carnem et ossa tribuas aut filio in eo quod homo est demus oportebit. In his enim solis Dei filius est, in quibus patri similis est. Nam in eo, quod carnem et ossa habet, matris potius est filius et non Dei aut plus quam unus ex nobis. — Haec sunt venenata colloquia secundum elementa mundi et non secundum Christum, *in quo inhabitat omnis plenitudo divinitas corporaliter.* Haec sunt illa persuasibilia humanae sapientiae verba, in quibus apostoli sermo et praedicatio non fuit nec esse debuit, a qualibus et nobis cavendum praemonuit. *Videte,* ait, *ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam secundum elementa mundi et non secundum Christum.*
(110) Sermo vero ejus fuit in ostensione spiritus et virtutis, ut et fides nostra non sit in doctrina hominum, sed in virtute Dei. Sapientiam tamen et ipse inter perfectos locutus est, sapientiam vero non hujus mundi neque principum, qui destruuntur; sed locutus est sapientiam *in mysterio quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus saeculi cognovit. Si enim,* inquit, *cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent. Sed, sicut scriptum est: Quod oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se.*

Haec atque alia multa perorat sermo apostolicus, cavenda docens in fidei doctrina sapientiam secundum doctrinam hominum, secundum elementa mundi, secundum visionem oculorum, secundum

auditum aurium humanarum et quae secundum cogitatus cordium est. At vero istorum sermo secundum elementa et rationes physicas est, in quibus humana versatur doctrina; secundum visionem oculorum et auditum atque cogitatum cordium humanorum est, totusque in *persuasibilibus humanae sapientiae verbis*, in Christi rebus versatur. Quos ergo potius audiemus aut sequemur: apostolum an istos? Apostolum, sapientiam Dei loquentem in mysterio absconditam, an istos secundum elementa mundi, secundum quod oculus videt, auris audit, et cogitatus cordis humani capit, non tam fidem asserentes quam physicam humanam docentes? Quem, inquam, potius audiemus: Follem illum amarum vel quempiam ejus similem, ex carnis et ossium visione hominem assumptum filium Dei naturalem ac proprium secundum oculorum visionem negantem, an apostolum, in ostensione spiritus et virtutis sapientiam nobis fidei in mysterio absconditam praedicantem simul et angelum, Virgini idem mysterium loquentem et id, quod ex Virgine natum est, ossa et carnem habens, filium Dei praedicantem? An forte isti novi apostoli supra modum apostoli sunt, ut propter eos antiquos apostolos et evangelistas reprobemus, tanquam incredibilia et quae humanam excedant intelligentiam loquentes, an potius apostatae circa fidem reprobi, quae in mysterio abscondita est, quam nemo principum hujus saeculi cognovit? *Si enim cognovissent, nunquam regem gloriae crucifixissent.*

Viderunt autem et ipsi hominem carnem et ossa habentem, et non aliud ediderunt, quam viderunt, et propter hoc occiderunt. *Mori,* inquiunt, *debet, quoniam filium Dei se fecit!* item: *De bono,* inquiunt, *opere non lapidamus te, sed de blasphemia; et quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum.* Nos vero, nos ab istis eorumque sequacibus facientes in Christo, quod non videmus, credimus, quemadmodum et ille apostolus, licet ad credendum tardus, qui palpans et videns hominem credidit Deum atque ore confessus est ad salutem, dicens: *Dominus meus et Deus meus.* (111)
Nobis namque fides haec ab incunabulis, imo vero et in cunis cum lacte matris infusa est, nobiscum in nobis crevit atque adulta est; in qua etiam incanuimus, et in qua nobis mori decretum est: Dominum nostrum Jesum Christum non solum in eo, quod Verbum Deus ex Deo, aeternus ex aeterno genitus est, sed et in eo, quod homo ex Virgine in fine temporum natus est, carnem et ossa habens, esse proprium et unicum, non adoptivum, sed naturalem, per gratiam simul et nativitatis naturam, filium Dei patris omnipotentis,

ossa tamen et carnem non habentis, sicut virginem (matrem) quoque ossa et carnem non habentis, sed se in Virgine ex virginali carne ossibus et carne vestientis, sicut ipse quoque homo ex Virgine sumptus genuina patris virtute ex Verbo sibi naturaliter ac personaliter per nativitatis naturam simul et gratiam unito indutus est. Haec est enim *sapientia in mysterio abscondita, quam nemo principum hujus saeculi cognovit;* hoc est mysterii secretum, *quod oculus non vidit, auris non audivit, et in cor hominis non ascendit.* Apostolis vero per spiritum Dei revelatum est; *spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Per spiritum, inquam, hoc mysterium revelatum est, apostolis sensum aperientem, ut intelligerent scripturas, id est†) mysterii secretum contectum mysticis quibusdam figuris quasi sub velamine continentes, sicut nos quoque idem mysterium eodem, ut aestimo, spiritu revelante in cancellatione manuum patriarchae Jacob praefiguratum advertimus.

Haec est enim illa benedictionis gentium simul et Judaeorum ferax cancellatio manuum nostri veri Jacob, ut supra dicere coepimus: quam filius Dei in forma Dei secundum naturam et in aequalitate Dei secundum personam totus dexter manens semet ipsum exinanivit, formam, id est substantiam servi accipiens per nativitatis naturam, et in persona in similitudinem hominum factus est, et habitu inventus ut homo, quod erat ei quasi a dextra in sinistram cedere; ampliusque adhuc, quasi sinister factus humiliavit se ipsum factus obediens usque ad mortem et usque ad mortis ignominiosum cruciatum, ut in cruce suspensus cum iniquis reputaretur et fieret pro nobis quasi legis maledictum. Ecce quanta et quam larga dextrae ad sinistram protensio. Sed non sic dextra ad sinistram porrecta est, ut suae radicis vel principii virtutis oblivisceretur, quin potius ad nostrum sinistrum totam dextralis et paternae substantiae virtutem perduxit. Alioqui dextra haec in nostro sinistro fortem armatum fortior non vicisset nosque de faucibus tortuosi et vectis*) Leviathan non eruisset, ni potestatem
(112) ponendae et sumendae animae suae habuisset.

Attamen in nostris sinistris et ipse aliquatenus sinister effectus est, dum non solum pro nobis homo mortalis factus est, sed etiam cum iniquis reputatus. *Vidimus eum,* ait propheta, *non*

†) illius (?), vel: istud (?).
*) sic quidem ms.; forte reponendum *veteris.*

habentem speciem neque decorem, et nos aestimavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum; unde nec reputavimus eum. Ecce quam sinistra in nostris dextra haec facta est. Sed jam sinistra, id est nostrae naturae in Deum assumptio, in dextram extendatur, et quasi de sinistra dextra fiat, sic tamen, ut et illic suae originis ex nostri generis radice non penitus obliviscatur. Quod et factum est, sicut evangelica relatio continet. Apostolus quoque evangelico ore prosequitur dicens: *Propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris.* Haec est sinistrae nostri veri Jacob in dextram extensio, id est naturae nostrae in Domino Jesu ad dextram patris exaltatio. Unde item apostolus: *Talem,* inquit, *habemus pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in excelsis, sanctorum minister et tabernaculi veri, quod fixit Deus et non homo.* Etenim cum in nostrae naturae assumptione Dominus Jesus pontifex factus sit, dum pontificem in dextera Dei consedere dicit, nostram naturam, in qua pontificatus officio functus est, ad dexteram sedis magnitudinis in excelsis constituit. Quid igitur aut quo ultra sinistra haec veri Jacob extendi in dextrum potuit? Inde benedictiones, inde sancti spiritus in nos emissiones ac divisiones gratiarum extiterunt, differenter quidem in nos gentes atque populum Judaeorum. Nam nos occulto et inscrutabili judiciorum Dei profundo ex sinistris dextri facti sumus, illi vero ex dextris sinistri effecti.

Et ne id quidem penitus mirum. Etenim et illi aure dextra praecisa adeo dextrae auris auditum perdiderunt, ut nihil eorum, quae dextra sunt in Domino Jesu, patienter audire sustineant. Audiunt eum passum, contumeliis affectum, crucifixum, mortuum ac sepultum: et aure sinistra auscultant. At vero de miraculis ac operibus ejus divinis, de testimonio super eum patris, de gloria resurrectionis et honore ascensionis, de dexterae paternae consessu et spiritus sancti effusione audire non patiuntur. Unde et Stephanum aliosque haec testificantes, quoad potuerunt, persecuti sunt. Igitur et justo Dei judicio sinistra manus vestri veri Jacob super eos gravata est, quemadmodum sibi imprecati sunt dicentes: *Sanguis* (113)
ejus super nos et super filios nostros! parcius†) tamen ab hoc

†) paucis (?).

sinistrae manus pondere exceptis, in quibus et dextrae auris auditus per ipsum Christum apostolicae curationis medicamine curatus est. Sed nec verus noster Joseph, verus Aegypti Dominus, hujus judicii pondus humanae miserationis suae fletu ab eis avertere valuit, quia, ut averteretur, justum non fuit. Quemadmodum ipse patrem orans in eodem sensu aiebat: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste!* concedens patris judicia; *verumtamen*, ait, *non sicut ego volo, sed sicut tu vis!* sicut typicus quoque Joseph manuum paternarum transpositionem voluit quidem, sed non valuit commutare. Super nos vero gentes dexterae benedictio firmata est, si tamen initium spei usque in finem firmum retineamus. Ecce cancellationem manuum vidimus nostri veri Jacob. Cujus cancellationis nodus vel clavis et unio una et singularis persona est Domini nostri Jesu Christi, in quo *misericordia et veritas*, quasi duae manus, *sibi obviaverunt, justitia et pax* †) *osculatae sunt.* Veritati enim, quasi ad exterminium nostrum et omnium hominum justo judicio tendenti, misericordia humanationis divinae se obviam tulit, tanta miserationis fortitudine judicis venturi iram continens, tanta gratiae benignitate suadens et inclinans, ut pax nostra factus sit solutis inimicitiis inter Deum et hominem.

Vide aliud magnum item hujus unionis sacramentum. Duo fontes, quorum††) unus Jor, alius vero dicitur Dan, in unum coeuntes, Jordanem fluvium efficiunt ab ipsis fontibus nomen mutuantem. In quo fluvio tam tempore legis quam gratiae incipientis maxima quaeque sacramenta monstrata sunt, primo quod per eum populus Domini magno miraculo aquis ejus divisis per arentem alveum terram promissionis ingressus est, arca siquidem, quam sacerdotes in ejus alveo stantes tenebant, ejus aquas retinebat, donec omnis populus pertransisset. In quo baptismi gratia praefigurata est, sine cujus lavacro ad veram promissionis terram nobis transitus non est, arca tamen dominici corporis vel in Jordanis tinctione vel passionis suae sacramento regenerationis nobis lavacrum sanctificante. In quo aquae inferiores, id est peccata nostra, ad mare mortuum descendunt, id est diabolo amaricanti, utpote suasori impietatis, imputantur; superiores vero, id est virtutes, nobis ad montis instar, id est ad Domini nostri Jesu Christi, qui est mons montium, imitationem seu participationem cumulantur. Propter hoc vero et Naaman Syrus Helizeo jubente in eodem flumine septies tinctus

---

†) adde *se.* — ††) ms. t. *quor.*

sanitati redditus est, sacramentali beneficio et beneficii usu cognoscens, Jordanis aquas omnibus fluviis Damasci esse meliores. Initio vero gratiae ipse Dominus Jesus hunc potissimum fluvium, in quo baptizaretur, elegit — haud dubium, quin gratia mysterii —, eo quod idem promissionis terrae fluvius personae ipsius Domini nostri Jesu Christi ejusque vitae in carne actae quandam praeferat similitudinem. Sicut enim Dominus Jesus, una persona ex duabus, divina scilicet atque humana, in eisdem duabus naturis subsistit: ita hic fluvius ex duobus fontibus et in duorum fontium aquis subsistit, differenter tamen, quoniam fontium quidem duorum aquae in invicem permistae sunt, in Domino vero Jesu naturae non permistae sunt, sed unitae, distinctas quidem operationes et voluntates habentes, sed ita sociatas, ut, ex quo semel eaedem naturae unitae sunt, nec sine Deo per Christum agentes†) humana nec sine homine divina, operantes tamen utraque natura quod suum est cum alterius communione. Ita tenus enim hae duae in unum naturae convenerunt, ut, sicut ait Leo, nihil assumenti humanum, nihil assumpto deesset divinum; sicut et aquae duorum fontium in Jordanem fluvium, quem efficiunt coeuntes, nullatenus, ex quo semel coierunt, ab invicem poterunt separari. Et sicut in hoc fluvio transeuntibus filiis Israel diversus quidem effectus visus est, aquis aliis in mare mortuum descendentibus, aliis vero, id est superioribus, instar montis congregatis : ita per Dominum Jesum duo maxima dona percepimus, unum in remissionem peccatorum, aliud in donationem gratiarum.

Quorum unum, videlicet peccatorum remissio, de fonte in nos humanae miserationis descendens, per passionis Christi sacramentum nobis paratum est. Unde et resurgens a mortuis pacem nobis, tanquam remissis peccatis, obtulit et quasi consolans denunciavit dicens: *Pax vobis.* Sed et aliorum remittendi peccata potestatem dedit apostolis, insufflans eis miserationis humanae et fraternae compassionis spiritum, dicens: *Accipite spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Et haec vere dulcis aqua est de fonte pietatis humanae descendens. Aliud vero donum in divisiones gratiarum divinae sublimitatis opus est, desuper nobis a consessu dexterae paternae in ignis visione missum jam in divina glorificato Domino Jesu, de quo et illud dictum intelligitur. Nondum enim erat spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. Hoc ergo donum

†) agerent vel: agerentur (?); v. infra.

de fonte divinae sublimitatis est, operante videlicet utraque natura quod suum erat et est cum alterius communione. Etenim quamvis peccata dimittere proprium humanae miserationis opus sit, quod annumeratur aquis in mare mortuum descendentibus, attamen, nisi et Deus esset Dominus Jesus, cui soli peccatur, nec peccata remitteret nec apostolis remittendi potestatem donare potuisset. Item, quamvis divinae celsitudinis opus sit, spiritum in divisiones dare gratiarum — quod annumeratur aquis instar montis ascendentibus —,
115) attamen, nisi Deus homo Christus Jesus ad dexteram patris consedisset, spiritus ad nos cum tanta gratiarum largitate missus non fuisset, cum quanta nunquam antea missus est. Ita aquae istae duorum fontium, id est duarum naturarum in Christo convenerunt, ut nec sine Deo humana nec sine homine divina agerentur. Etenim hominis cujuspiam, qui Deus ac Dei naturalis et proprius filius non fuisset, mors nobis in remissionem peccatorum et ad triumphandas adversas potestates non poterat profuisse; nec spiritus, nisi per mediatorem una cum patre peccata nobis remittentem, cum largitate in homines potuisset procedere, obstante sibi divinae severitatis justitia una cum nostrorum peccatorum pariete; sed nec nostra vasa, nisi remissis peccatis purgata fuissent, tantae gratiae capacia et contentiva fuissent. His geminae gratiae aquis, id est remissionis peccatorum et donationis gratiarum, noster Jordanis†) de duobus fontibus procedentibus alveum suum quasi tempore messis impleverat praebens per se transitum ad terram promissionis filiis Israel, Dominus videlicet Jesus, pontifex misericors et rex donationum largus.

De qua gemina plenitudine scriptum est: *Et vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti a patre plenum gratia et veritate.* Plenus enim gratia est ex fonte pietatis peccata remittens, plenus veritate eadem peccata non nisi morte filii Dei intercedente condonans et gratiae largitatem non nisi in mundatos et purificatos accumulans. Plenus gratia est etiam in semet ipso Dominus Jesus, dum Deus per gratiam ad humana inclinatur et homo in Deum per gratiam assumitur; sed dum hoc ipsum per nativitatis naturam est, id quod Deus homo hominis filius est quodque homo Deus ac Dei filius est, plenum utique veritate est. Et quia Jordanis interpretatur *videns judicium,* nomen judicii remissioni peccatorum in eo convenit, quod non absque satisfactione congrua peccata nobis

†) recte leg. *Jordanes;* v. et infra.

donata sunt. Visionis vero nomen ei gratiae imputetur, in qua spiritus sanctus manifesta visione in igneis linguis monstratus et per miraculorum evidentiam datus est. Praeferat ex his fontibus in Domino Jesu quisque eum, qui sibi sapit dulcius: ego utrumque pari veneratione amplector, veneror et diligo, eo quod, ex quo semel duarum naturarum fontes in unam personam, quasi in unum fluvium uniti sunt, nec†) Deus ab homine in passionibus nec homo a Deo valeat in miraculis separari, dum et homo omnipotenter humana patitur et Deus humanitus in homine Deo divina operatur. (1

Sed huic sanissimae et evangelicae veritati homines animali sensu praeventi contradicunt ex adverso stantes et dicentes: Christus in eo, quod est Deus, Dei est et non hominis filius; in eo vero, quod est homo ossibus et carne subsistens, virginis matris et non Dei filius est, quemadmodum unus ex nobis. Aut ergo, inquiunt, dabis patri ossa et carnem, ut Christus in eisdem Dei filius sit, aut ea filio detrahas necesse est, si eum utraque substantia Dei filium proprium profiteris. Necesse est enim filium patri per omnia similari. — Sed ea sapientia secundum doctrinam humanam, secundum visionem oculorum et secundum auditum aurium et in persuasibilibus humanae sapientiae verbis est longe ab ea sapientia remota, *quae in mysterio abscondita est; quia nemo principum hujus saeculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent, sicut scriptum est: Oculus non vidit, auris non audivit, et in cor hominis non ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se.* Non ergo, ut tu vis et persuasibilibus humanae sapientiae verbis suades, vel patri ossa ego assignem, vel ejus filium, ut Dei utraque substantia filius sit, eisdem spoliabo: sed quia utraque natura, ut patres quoque catholici profitentur, Dei patris, itemque utraque natura virginis matris filius est, utrique parenti in fide et professione mea eum consubstantiabo, ut non soli patri vel soli matri, sed utrique parenti homousius*) sit: homousius quidem patri secundum divinitatem in eo, quod Deus ab aeterno ex Deo est, homousius quoque matri in eo, quod homo in tempore ex ejus carne natus est, et nihilominus tamen, ut dictum est, totus utriusque parentis verus utraque natura filius. Neque enim hoc filiationis nomen seu proprietas exigit, ut tota essentia vel omnes subsistentiae, ex qua vel ex quibus filius subsistit, ex utriusque parentis substantia totaliter sumatur, quatenus is, qui nascitur,

†) ms. t. *nc.* — *) *ὁμοούσιος.*

totus utriusque parentis filius sit, sed id solum, ut inter parentes vel animorum vel corporum sacramentalis vel saltem naturalis unio praecesserit et sic, quod de utroque parente sumitur, per utriusque parentis amorem sumatur. Neque enim alter parentum sine altero conceptioni originem dare posset.

Notum quoque est pluribus, constare, quamvis apud alios aliter aestimetur, animam prolis de neutro parentum sumi: et nihilominus tamen filius, etiam in eo, quod animatus est, utriusque
(117) parentis indubitatus apud omnes filius est. Similiter et proles cum de sanguine materno totius paene corporis quantitatem sumat, nihilominus tamen in eodem non minus patris quam matris filius est. Et hoc quidem de naturalibus hominum conceptibus.

Qualiter vero et supernaturalis conceptus Virginis, ex Deo Verbum cum carnis propriae substantia in unum Emmanuel concipientis, cum naturalibus congruat, ut is, qui natus est, utraque substantia non solum perpetua Virginis, sed et Dei altissimi patris filius sit: homini fideli (quales omnes oportet esse filios Abrahae Virginisque sequi pedes debent) satis ab angelo Virgini, id mysterii sacramentum inquirenti, expositum est. Noster quoque sermo, quatenus eidem sacramento et virginali sacrario approximare ausus est, satis superius assignavit, propter ossa et carnem, de virginali carne sumpta, quamvis ex patris essentia patrique consubstantialia non sint, nihilo minus tamen etiam in his filium esse Dei patris omnipotentis, de quo et Verbum incarnandum in Virginem processit, cujus spiritus quoque in Virginem supervenit, cujus et virtus Virgini obumbravit, sive illa patris virtus Verbum ejus sive spiritus sanctus sive etiam propria virtus patris intransitive intelligenda sit. Neque enim dubitare fas est, totam sanctam trinitatem nativitatem Verbi in hominem sive hominis in Deum divinissime esse praesentialiter operatam, sic tamen, ut is, qui natus est, filius non suimetipsius Verbi vel etiam spiritus sancti, in Virginem supervenientis, sed solius personae patris altissimi sit.

Sed tu, quatenus sacramentum hoc, omnibus saeculis, angelis quoque et hominibus venerabile ac stupendum, verbis tuis deformes ac profanes, quasi ex nostris inferens dicis: Ergo Deus genuit filium ex virgine seu femina. — Sed tua sunt haec et animae tuae, qua infidelitate protuleris, reposita. Nam nos, secundum evangelium, evangelicis atque apostolicis testimoniis simul et patrum usitatis verbis id, quod et credimus, adstruimus, Christum videlicet utraque substantia filium esse Dei patris omnipotentis, de quo procedit

spiritus sanctus. Qui videlicet pater misit Verbum suum incarnandum in cor et uterum Virginis, et per illud sanavit nos, et *eripuit nos de interitionibus nostris; qui misit misericordiam suam et veritatem suam, et eripuit animas nostras de medio catulorum leonum.* Etenim cum tota trinitas hujus nativitatis, qua Verbum incarnatum est, auctor sit, solus pater ea proprietate nativitatis hujus virginei partus auctor est, ut pater ejus, qui nascitur, solus ipse recte dicatur, non etiam Verbum aut spiritus (11 sanctus. Habet autem haec nativitas testimonium angeli, quod ad patrem Deum referenda sit, ad B. Virginem dicentis: *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Apostolico etiam testimonio audimus, quod *factus sit Deo filius ex semine David, secundum carnem,* isque praedestinatus sit filius Dei in virtute. Qui et illud super eadem generatione dictum perhibet, qua primogenitus in orbem terrae introductus est, quod pater ad filium in II. psalmo loquitur, dicens: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Sed iterum isti de suo inferentes: Ergo pater, inquiunt, secundo hunc genuit filium secundum nos, cum scriptura contradicat: *Semel,* inquiens, *loquitur Deus, et secundo id ipsum non repetitur.* Non nos hoc dicimus, quod Deus pater hunc filium bis vel tertio vel quarto genuerit, cum tamen totiens patris super hujus filii sui nativitate, ut superius dictum est, testimonium sit. Etenim de aeterna illa genitura hoc est: *Ex utero ante Luciferum genui te.* De ista vero, qua ex Virgine Deus in hominem et homo in Deum natus est, evangelicum et apostolicum et propheticum testimonium notum est. Post mystici quoque lavacri sacramentum, in quo sacerdos verus, quasi ex hominibus assumptus, pro hominibus constitutus ac declaratus est, patris testimonium notum est dicentis. Apostolus quoque super eodem natali sacerdotii Domini Jesu etiam hoc dictum perhibet: *Filius meus es tu, ego hodie genui te!* pro uno eodemque sensu patris in evangelio et prophetae in spiritu loquentis testimonium reputans. Sed et loquens in synagoga idem testimonium: *Filius meus es tu, ego hodie genui te!* super resurrectione dictum testificatur, in qua haud dubium pater Deus hunc eundem filium suum ex mortali in immortalem genuit. Cum, inquam, totiens ex scripturis de filii generatione ex patre testimonium teneamus, nos tamen non totiens vel patrem hunc filium genuisse aut filium totiens numero ex patre genitum esse dicere solemus.

Audimus tamen et alium prophetam dicentem: *Semel locutus est Deus; duo haec audivi; quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia;* quia†), quod etiam superius commemoratum est. In quo docemur quatuor jam dictas Christi nativitates sub una et semel, id est immutabiliter facta Dei locutione deputare, ut non necesse sit dicere, totiens patrem Deum hunc filium genuisse, vel
19) totiens hunc filium ex patre genitum esse, quot in scripturis Christi esse advertimus nativitates. Duas tamen principales, ut supra quoque dictum, Christi advertimus nativitates, unam potentiae, alteram misericordiae: unam, qua Deus ex Deo ex aeterno natus est, qua creati ex nihilo potenter sumus, aliam, qua Deus per Deum virginali partu in hominem, et homo in Deum natus est, qua misericorditer redempti sumus. Huic secundae, quae misericordiae est, reliquae duae junguntur, quae item in Christo per Deum miserationis opere peractae sunt, videlicet pontificatus natalis et resurrectionis. Et duo tantum erunt, quae propheta audivit, sub una et semel facta Dei locutione comprehensa, ut non indignior ista misericordiae nativitas in Christo sit deputanda ab illa prima, qua Deus ex Deo natus mundum potenter condidit, cum sub una eademque aeterna aeterni Verbi Dei genitura ista cum illa comprehensa sit. Unde est illud: *Et egressus ejus ab initio dierum aeternitatis ejus.* Non enim in prole virginei partus, ut irridere nos solent, dum filii unam nobilitatem in utraque natura asserimus: non, inquam, degeneravit in filio in hominem nato Deus pater, aut filius in hominem natus degener effectus est, sed ei tota sua dignitas, etiam in ista dignatione permansit. Pulcher enim ubique Christus ac totus desiderabilis in patre Deus Verbum: pulcher in Virgine matre caro Verbum; pulcher, dum caelum ac caeli cives angelos cum patre condidit: pulcher, dum sub matre pannos induit; pulcher in illa dignitate: nec minus pulcher et decorus in ista dignatione. Unde et non confunditur Dominus Jesus secundum utramque nativitatem sibi nomen adscribere dicens: *Ego sum Alpha et O, principium et finis!* item: *Ego sum primus et novissimus.*

Hic est circulus sive armilla in unum reductus, maxillam Leviatan††) perforans, quem ego unius fortitudinis ac nobilitatis ubique asseverem, sive cum in patribus per Matthaeum ad nos usque deducitur, sive cum per Lucam Deo patri item in patribus restituitur. Unde, ut aestimo, et Maximo episcopo in sermone dis-

†) haec conj. abundare videtur. — ††) sollemnius *Leviathan* v. supra.

plicuit, dici bis natum Dominum Jesum; cujus tamen duas nativitates asserit, eo quod sub una patris Dei aeterna et invariabili loquela, sub una generatione Dei patris etiam ista per matrem Deo auctore ac patre facta nativitas comprehensa sit. Da prophetales aures, et dum semel locutus sit Deus, duo tamen haec, id est duae Christi nativitates Deo semel loquente et unicum filium in divinis et humanis generante audiuntur, qui et Deus ac Dei filius etiam in (120) humanis, et homo atque hominis filius etiam in divinis sit.

Sed hoc aures tuae audire refugiunt, quod Deus pater filium ex Virgine ac per Virginem genuerit; et nos illud dicere propter auditum humanarum aurium vitamus et propter eos, qui in divinis quoque rebus ad imaginationes deducuntur; qui differentiam nesciunt inter amorem Dei impassibilem ac luminosum et nostrum passibilem et obscurum, imo et interdum caecum, inter voluptatis divinae torrentem et peccata comburentem, naturam conservantem et Verbo Dei foecundantem et nostrum paludosum animas maculantem, corpora deflorantem, depascentem. Propter hujusmodi, inquam, aures verba vitanda sunt, quae aures etiam religiosas offendunt, et si non propter†) se intellectualiter in divinis conversari scientes, sed propter alios minus spiritales. Quamvis ne auditus quidem communis super eis justam offensionis causam habeat, eo quod omnibus notum ac palam sit, etiam solem hunc materialem radios suos locis infundere atque in eis sine sui macula quosdam vermiculos procreare, ut Deo quoque, hunc tantum ac talem hominem ex Virgine et in Virgine atque per Virginem genuisse, injuria nulla sit, maxime cum et Deus amator impassibilis et rationalis creatura legitima Dei sponsa sit. Sive igitur talia verba dicantur, sive propter offensionem quorundam vitentur: nihilominus evangelica veritas in sua constantia permanet, omnibus nobis, qui veri Christiani sumus, id retinentibus, quod Dominus noster Jesus utraque substantia, divina scilicet et humana, verus, unicus, non adoptivus, sed naturalis Dei patris omnipotentis filius sit, de quo procedit spiritus sanctus, quodque Deus pater etiam secundum carnem, ut ait Ambrosius in Lucam, verus Christi generator sit. Et pater Augustinus: Non enim, inquit, potuit, quod de sancto sanctum natum est, non de Deo nasci.

At, inquiunt, Christus in eo, quod homo est, non per generationem, sed per unionem filius Dei est, eo quod ei, qui est filius,

†) ms. t. *propte.*

unitus sit. — At nos filii nomen non ad quamlibet unionem, sed ad paternam vel maternam generationem referri didicimus; nisi forte eam solam unionem dixeris vel intellexeris, quae et nativa est, qua id efficitur, ut, quod ex utrolibet parente sumitur, in filium utriusque parentis integre ac totaliter deputetur. Sed haec unio vera ex utroque parente generatio est. Quamlibet vero aliam
(121) unionem, quae per habitum sive accidentalis sit; id quod per habitum seu quomodolibet accidentaliter filio cujuspiam unitur, nequaquam patri in filium deputatur. Verbi causa, filius tuus equo insideat et unus cum equo eques fiat et equilis persona sit; agnum prandeat sibique totum incorporet; musicam discat et musicus fiat: nec equus nec agnus, taliter filio†) tuo unitus, filius tuus, aut musica filia tua fiet, eo quod talis unio non nativa filio tuo, sed accidentalis sit. At vero inter assumentem et assumptum quoniam unio non accidentalis, sed nativa est, ideo assumptus homo una cum Verbo assumente verus Dei filius est; quam videlicet unionem tantam patres asserunt, ut assumenti nihil humanum, et assumpto nihil divinum desit.

At, inquiunt, non nihil assumenti humanum, et non nihil assumpto divinum deest. Etenim assumens coessentiale Deo patri est, quod assumptum non est, et assumptum coessentiale nobis, quod assumens non est. — Et verum quidem hoc esse, negare non possumus. Sed quaero: Quid Verbo coessentialis nativitas contulit aut conferre amplius potuit, quod assumpto per assumptionis gratiam simul et nativitatis de spiritu sancto naturam collatum non sit? Nempe verbo coessentialis nativitas contulit, ut sit filius Dei unigenitus, unus cum patre Deus, unus omnipotens. Sed hoc ipsum homini per assumptionis gratiam et nativitatis de spiritu sancto naturam collatum est. Simul attendendum, quod Christum in duos filios dividere non possumus, unum, qui patri et non matri, atque alterum, qui matri et non patri coessentialis sit; sed totus Christus unus filius, id est Verbum assumens et homo assumptus, ex divinitate quidem patri, et ex humanitate matri coessentialis est; sicut ego totus ex rationalitate quidem angelis, ex sensualitate bestiis coessentialis sum, sed non totum. Similiter et Christum non totum patri nec totum neutraliter matri coessentialem dicimus, ne alterutram in eo naturam perimere vel negare videamur. Attamen assumpta natura per assumentem eatenus nobilitata est, ut unius

†) ms. t. *filii*.

nobilitatis et potentiae Dominus Jesus in divinis et humanis sit. *Est enim unus verus in caelo sursum,* ut ait scriptura, *et Deus in terra deorsum!* Deus in divinis, Deus et in humanis: in divinis quod Deus natura genitus*), in humanis vero Deus natura virginalis ex Deo nativitatis. Etenim quamvis naturae in Christo, divina (122)
scilicet et humana, aequari sibi essentiali pietate non possint, unus tamen ex eis et in eis subsistens Dominus Jesus in potentiae et honoris sublimitate a semetipso distare non potest, maxime cum in una ipsius persona dignatio dignitatem exaequet. Sed aiunt: Aequalis patri secundum divinitatem, minor patre secundum humanitatem; ex altero magnus, ex altero parvus; ex altero potens, ex altero infirmus; ex altero et in altero Dominus, ex altero et in altero servus. — Et nos quidem ista non negamus in Christo ex distantia et in distantia naturarum fuisse in tempore maximae dispositionis†) humanae. Sed quaero, utrum haec in Christo minorationis humanae servitus et usque ad crucem humilitatio conditionis fuerit an dispensationis, voluntatis an necessitatis, potestatis an necessariae et inevitabilis infirmitatis. Dum vero in omnibus propriis non necessitas sed voluntas, non necessaria infirmitas sed potestas, non conditio sed dispensatio est: voluntaria minoratio††), potestativa infirmitas, dispensatoria servitus filium etiam in humanis non indigniorem patre exhibent, sed mitem, pium et humilem corde demonstrant; aut si indignitatis minoritas est etiam in humanis, Christi est filium paternae voluntati in humanis fuisse ac servisse: fuerit quoque indignitatis minoritas necesse erit, filium adhuc Deum et non hominem ad humana ex paterna voluntate venisse.

Sed quis ea se impietate induerit, ut in Christo indignitatis minorationi deputet, quod vel nunc ad humana ex patris voluntate venit, vel quondam in Sodomam opera eorum cogniturus descendit, vel quod item tunc Dominus a Domino, id est filius ex paterna voluntate, pluit? Itaque et in humanis et in tempore dispensationis minor fuit et est Christus patre, non servili conditione, sed dispensatione; non necessitate, sed voluntate; non infirmitate, sed potestatis inclinatione ac filialis obedientiae pietate; habens quidem in se, unde et in quo mortem perferret, sed non habens, unde morti quidquam deberet; mortem quidem ex patris voluntate potestative proferens, sed morti etiam ex humana conditione nihil debens, ut in humanis quoque Dominum Jesum filium esse ac

---

*) ms. *geni*, forte *generis*. — †) dispensationis (?). — ††) ms. t. *miratio*.

fuisse proprium, unicum, non adoptivum, sed naturalem Dei patris omnipotentis dicere, non confundamur. Etenim non et pater Deus in his eum proprium filium profiteri confusus est, delapsa ad eum
23) voce hujuscemodi a magnifica gloria: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Nempe demonstratio haec magis proprie assumptioni hominis pertinet quam assumentis Verbi divinitati. Etenim Verbum in suis divinis digito demonstrari non potest, eo quod ubique sit.

Sed objicit adhuc adversarius, dicens: Christus in eo, quod est homo, naturalis Dei filius non est, quia connaturalis non est. — At hoc unum ex tuae infidelitatis argumentis est, quae tu secundum doctrinam hominum, secundum elementa mundi soles ad deceptionem animarum afferre, persuasibilibus humanae sapientiae verbis docens ea, quae secundum visionem oculorum et auditum aurium humanarum sunt, non secundum Christum, *in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter;* et non secundum sapientiam Dei in mysterio absconditam, quam nemo principum hujus mundi sapientia humana cognovit, quae stultitia apud Deum est. Assentior tamen interim proprositioni, quae dixit: Si connaturalis filius non est, naturalis non est. Quamvis enim scientia†) filios connaturales, v. g. adoptivos, qui naturales filii non sunt, nullum tamen scio naturalem filium, qui connaturalis non sit. Quaero autem, quo sensu hominem Deo connaturalem neges. Diversis modis aliquid alteri connaturale dicitur, videlicet vel coessentialitate vel consubstantialitate: coessentialitate, ut homo homini, Deus Deo coessentialis est, consubstantialitate, ut animam rationalem humanae carni connaturalem dicimus, eo quod, cum unum alterius capax atque aliud alteri naturaliter capabile sit, naturaliter in unum subsistentem uniri possunt. Dico autem, inconnaturalitatem quae incoessentialitas est adeo naturalem filiationem non impedire, ut videamus diversae speciei animalia ex aliis nasci; ut est, quod asina mulum et cerva lyncem gignit, et inter immolantium manus, ut legimus, aliquando vitula agnam enixa est.

Caeterum ea connaturalitas, quae consubstantialitas est, adeo filiationi naturali necessaria est, ut, nisi parentes invicem sibi naturali usu uniri possint atque ita uniantur, ut unum corpus et una caro sit, proles ex eis naturalis nasci non possit. Quis autem nesciat, hominem atque angelum Deo ea connaturalitate connaturales

---

†) *sciens jam*, vel *sciam* (?).

esse, qua unum alterius naturaliter capax atque aliud alterius capabile sit? Hinc enim rationalis creatura, Deum cognoscens et diligens, legitima et sola naturalis Dei sponsa est, utpote ad imaginem et similitudinem ejus condita; quemadmodum in naturalibus videmus oculum factum ad solem, terram ad imbrem, feminam ad marem. (124)

Et quia de inaequalitate parentum ad filios seu filiorum ad parentes in connaturalitate contra importunitatem obloquentium sermo nobis est, cogimur hic reminisci cujusdam monstruosi conceptus ex parentibus inaequalibus, quod nescio hic inserere an tacere sit melius. Dicam tamen, ut rem nostro tempore in nostra quoque regione secus lacum, qui Lemannus dicitur, in vicinia Coenobii, quod S. Georgii nuncupatur, actam fida ad nos relatio pertulit. Mulier quaedam viro suo, in ejus amplexum†) ire cupienti, vehementius obnisa ab ipso impatientius irato imprecationem accepit, ut, quia sibi sociari noluisset, diabolus ea abuteretur. Sicque discessum est. Tum unus ex daemonibus, quos Galli *dusios* vocant, sub mariti specie ad eam post breve tempus advenit, eique blanditus est, cum et illa deposito rigore, volens placare maritum, in ejus amplexus acquievit. Peracto autem carnali daemon cum femina commercio, mox eam alloquens ei, quis esset, aperuit, dicens etiam ei, quomodo conceperit, quodque ex eodem foetu esset moritura; tamdiu superviveret, quamdiu rem silentio tegere potuisset. Coepit ergo mulieris alvus intumescere, nemine dubitante quin conceperit, omnibus tamen concepti modum ignorantibus, nec aliud quam ex proprio eam viro concepisse putantibus. Sed, dum exspectatum tempus pariendi praeteriisset et illa adhuc haberet in utero tempusque pariendi per unius et alterius anni spatium fuisset protelatum, coepit in miraculo esse his, inter quos vivebat, ita ut maritus ei, quamvis rem nesciens, aliquando diceret, eam diabolum in utero gestare. Dumque jam eam vehementius tensi tumor ac dolor perurgens uteri silere ultra non sineret, rem proprio ad se vocato pandit sacerdoti; ipsaque e vestigio, ut ei daemon praedixerat, mortua est, cum maritus et vicini, miraculi monstruosi rem scire cupidi, mulieris alvo secta puerperium nefandum ac monstruosum ejiciunt, colore tetrum, pelle hispidum, nare extante ac recurva, ungues in manibus habens ac pedibus in modum aquilae. Quod ne publicum macularet aerem aut defossum foedaret humum, ex consilio igni traditum est. Dignus filius talis parentis,

†) ms. t. *amplex.*

mortuus mortui; qui et matri secretum prodenti causa mortis extiterit.

Talia sunt tua blandimenta, diabole; talia seminaria tua sunt, quae mortem afferant excipienti et quae confessionis remedio prodi nolint quaeque igni tibi consentientes et assimilatos tibi filios addicant. Sed quid paleis istis ad nostrum triticum? quid tenebris ad lucem? aut, *quae conventio Christi ad Belial?* Sed ad hoc tantum illata sunt haec, ut vel diabolicis illusionibus ad fidem
25) moveantur hi, qui evangelicis et apostolicis oraculis resultare praesumunt, in Christo ossa et carnem praetendentes, quatenus eum†) negent secundum carnem filium Dei, ossa et carnem non habentis; digni nimirum talibus monstris vel in Babylonia liberari, qui in Hierusalem caelestibus oraculis resultabant. Quis enim nesciat, diabolum carnem et ossa non habere? quis vero dubitet, ejusmodi abortum, diaboli filium, quamvis carnem et ossa habentem, de caetero vero patri, ut in picturis quoque solet, exhiberi simillimum? Verum haec quisque ut volet accipiat.

Caeterum nobis ad fidem oracula scripturarum sufficiunt, atque utinam nulli diabolica haec phantasmata retexere opus fuisset, a quibus ego virginalis partus sacramenta multo amplius distare non dubitem quam caelum ab inferis, lux solis a tetris inferni tenebris, quamque paradisi suavitas a gehennali igne submota est. Mihi sane videbatur, eos, qui in ossibus et carne Christi impingunt, ne hominem assumptum Dei patris naturalem filium fateantur, ei caeco esse similes, cui lutum de sputo Domini factum super oculos adhuc esset: tamdiu videre non potuit, donec idem sanctum lutum ad natatoriam Siloe diluisset. Vadant et isti ad natatoriam Siloe; participes spiritus sancti a Deo patre missi fiant; lutum hoc abluant, quo et discipulorum oculi aliquamdiu detenti sunt, ne ipsum filium Dei patris omnipotentis agnoscerent. Unde et dictum sibi audierunt: *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me!* item: *O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt prophetae.* Lutum, inquam, hoc offensionis carneae ad natatoriam Siloe abluant, participes spiritus sancti fiant, cujus donum utique fides est, et cum Paulo dicere incipient: *Etsi cognovimus secundum carnem Christum, sed jam nunc non novimus!* item: *Christum*, etiam crucifixum, etiam in humanis cognoscent *Dei esse virtutem et Dei sapientiam.* Cum illo quoque, qui

---

†) ms. t. cum.

carnem et ossa palpavit, clamabunt dicentes: *Dominus meus et Deus meus.* Cum Petro, et cui *caro et sanguis non revelavit, sed pater caelestis,* dicent: *Tu es Christus, filius Dei vivi.* Idque non de assumente Verbo solum, sed de assumpto quoque homine hominis filio dicent; de quo nunc dicere solent: Nihil assumptum Deus. Quod, nobis cum fuisset a quodam objectum, judicavimus (126) nec responsione dignum. Ad natatoriam, inquam, Siloe veniant, lutum illic carneae offensionis abluant, et auctorem suae illuminationis agnoscent Dominum Jesum, insuper vero et aliis praedicabunt dicentes: *Nisi hic* homo, qui mihi lutum super oculos posuit, *esset a Deo,* non quomodo nos alii, qui Deo adoptati in filios sumus, *non poterat facere quidquam.* Nisi hic esset naturalis et unicus Dei patris filius, a Deo patre in filium sanctificatus et in mundum missus, non tam imperiose in hominum curationibus operari potuisset. Quodlibet vero aliud flumen praeter hanc natatoriam Siloe, quae vadit cum silentio, adierint, se illic lavaturi; quoslibet catagetas*) circumierint; quantumlibet secundum elementa mundi, secundum doctrinam hominum de Domino Jesu a magistris buccis crepantibus ipsi prurientes auribus audierint; quantumlibet ipsi inter se disputando et se mutuo quasi ore spumeo lavando egerint: ad hanc scientiam sapientiae in mysterio absconditae non pervenient, nisi mites et humiles corde natatoriam Siloe adeant vel saltem his magistris et auctoribus nostris, qui illic abluti sunt, credant, sicut tota laicalitas credit Christum, etiam secundum quaestionem, filium Dei, eo quod eum de spiritu sancto virgo Maria conceperit. Hoc, inquam, indubitate credit populorum universitas, his nimirum doctoribus credens, qui in natatoria Siloe abluti sunt. Quorum unus Ambrosius in Lucam de conceptione hac singulari disserens ait: Quam cito etiam de impari conceptione credidit Maria. Quid enim tam impar quam spiritus sanctus et corpus? *(II. 17.)* Item, praemisso: *Quod enim nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Non enim, inquit, virilis coitus virginalis vulnae secreta reseravit, sed immaculatum semen inviolabili utero spiritus sanctus infudit. *(II. 56.)* Ecce hic sanctus pater, ad natatoriam Siloe oculos habens ablutos, non de inconnaturalitate offenditur, ut Christum in eo quod homo est filium Dei naturalem neget, eo quod connaturalis Deo filius non sit; quin potius etiam de impari conceptione natum, secundum quod homo est, filium Dei

*) *καθηχητάς* interpretes.

naturalem asseverat. Unde idem alias: Volvi, inquit, et revolvi scripturam divinam, et filium Dei nusquam adoptivum inveni; sed sicut Christus, in quantum Deus est, naturaliter habet, ut sit naturalis Dei filius et sit Deus: ita, in quantum homo, per gratiam habet, ut sit idem filius Dei naturalis. — Quod autem ait *in quantum* hic pater venerabilis, ego non aliud esse existimem, quam si dixisset: In eo quod est vel erat Deus ab aeterno, et in eo quod factus est
27) homo ex tempore. Cui nunc credimus potius, Ambrosio quam tibi? Ambrosio, naturalem filiationem in Christo in eo etiam quod homo est asserenti, quamvis de impari conceptione nato, an tibi, naturali filiationi in homine de inconnaturalitate ejus ad Deum contradicenti? At nos etiam connaturalitatem eam inter Deum et hominem adstruximus; quae, si non adesset, naturalis Dei filius Christus in eo quod homo est esse non posset. Ea namque est, qua res una alterius ita capax est atque altera alterius ita capabilis, ut inter se naturaliter in unam vel spiritalem vel carnalem copulam aut certe in unam personam uniri possint. Non autem incoessentialitas naturalem filiationem valet impedire. Aut si connaturalem hominem Deo dici forte offendit, eo quod Deus ad hominem supernaturalis sit, ut proinde et homo ad Deum potius subnaturalis quam connaturalis dici debeat: rem tantum teneat, ut eam, quibus volet, verbis competentibus exprimat, solum ut naturalem Deo filium Christum etiam in eo quod est homo relinquat; et de verbis nulla erit contentio. Simul et sciat, supernaturalia Dei in omnia sua subnaturalia seu, ut dictum est, connaturalia, sive per se ipsum sive etiam per ministros valere angelos ad faciendum in eis, etiam praeter consuetum naturae ordinem vel usum, quaecunque ipse voluerit et quaecunque suam non dedeceant majestatem. Sic enim sancti sancto sanctorum, domini domino dominorum, reges regi regum, ita naturalia supernaturalibus omnimodis subjiciuntur.

Vide autem, qualiter et apostolus quendam quasi concatenatum inter homines et Deum texat ordinem, quosdam a naturalibus hominum usus, ad supernaturalia Dei gradus invicem se contingentes constituens. *Caput*, inquit, *mulieris vir, caput viri Christus, caput autem Christi Deus.* Etenim sicut mulier propter virum et ad virum, caput suum, creata est: ita vir omnisque rationalis creatura propter Christum et ad Christum, sponsum suum, in spiritu facta est. Qui tamen Christus, id est homo assumptus, nobis caput esse non posset, nisi ejus caput spiritaliter Verbum assumens ac tota divinitas esset. Per quem, ut ait Petrus, maxima

et preciosa promissa donavit nobis Deus, ut per ipsum divinae efficiamur consortes naturae. Etenim dum corpus ejus et in ejus corpore caput ipsius Deum participamus ad vitam, divinae per ipsum naturae consortes efficimur, ut non dedeceat nos Deo connaturales vel subnaturales dici. Quod tamen ego, utpote novum (1
dictum, non usurparem, nisi hujus importunitas me coegisset, per inconnaturalitatem, ut ait, hominis ad Deum naturali filiationi Christi in eo quod homo est detrahentis. At non sic Ambrosius, qui, ut naturalem filium Dei Christum etiam in eo quod est homo asserat, quatenus decenter valet, etiam loquens ad populum verbis ad naturalia concedit. De impari conceptione dicit Mariam credidisse; virginalis vulvae secreta dicit non virili coitu reserata, sed immaculatum semen inviolabili utero spiritum sanctum asserit infudisse. Quod nos utique semen immaculatum non aliud quam Verbum Dei, filium Dei ex aeterno natum credimus. De quo item ipse in hymno ad naturalia concedens cecinit, et canendum ecclesiae tradidit: Maria ventre concepit Verbum fideli semine. Unde et Petrus *renatos nos,* ait, *non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi et permanentis. Quia omnis caro foenum, et omnis gloria ejus tanquam flos foeni; exaruit foenum et flos ejus decidit: verbum autem Domini manet in aeternum.* Hoc ergo Verbum, hoc semen incorruptibile spiritus sanctus inviolabili utero Virginis infusurus, in ipsam supervenit, et carneae pelli mira velocitate et efficacia idem Verbum substantialiter inscripsit, sicut ante psalmigraphus*) praecinuit in persona Dei patris, dicens: *Lingua mea calamus scribae velociter scribentis.* Johannes quoque Damascenus item ad naturalia condescendens: Per operationem autem, inquit, sanctae Virginis spiritus sanctus praevenit in ipsam, et potentia deitatis Verbi receptivam simul et generativam praeparans. Et tunc obumbravit ipsam Dei altissimi per se sapientia et virtus, id est filius Dei, patri ὁμοούσιος**), id est consubstantialis, sicut divinum semen. Et copulavit sibi ipsi ex sanctissimis et purissimis ipsius sanguinibus carnem animatam anima rationali et intellectiva, quae fuit a principio nostrae conspersionis non seminans, sed per spiritum sanctum creans; nec paulatim appositionibus completa, figurata, sed subito perfecta, et Dei Verbum, id est, persona realiter facta est carni persona.

---

*) sic et rite ms. ad latinam, non graecam rationem.

**) ms. ὁμοουσιος; mendose, ut et in margine omoysios.

Sic patres isti, naturalem filiationem hominis ad Deum adstruere cupientes, verbis ad naturalia significanda institutis usi sunt, Verbum, id est filium Dei, sapientiam Dei nuncupantes, eo nimirum loquendi usu, quo materialium nomina interdum rebus spiritalibus
(129) accomodamus, quale est, filium Dei brachium vel manum Dei dicere, eo quod omnia Deus in eo ac per eum operatus sit. Sic ergo etiam hic certam ob causam filium Dei, Verbum Dei, verum Deum, immaterialem essentiam, materialis rei nomine nuncupant, eo quod in conceptione virginali immaculato sanguini Virginis idem verbum Dei, quasi loco paterni seminis, inaestimabili dignatione se*) univerit. Et ne id quidem proprio arbitratu praesumpsisse putandi sunt, sed potius scripturae sacrae exemplis usos esse, apud quam familiare est, seminis nomine cujuspiam filium vel filios accipi. Quod adstrui opus non est. Insuper et singularis hic filius seminis nomine in scripturis significatus est. Unde dictum est Abrahae: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* De quo et apostolus: *Non dixit**) *in multis, sed quasi in uno: Et semini tuo, qui est Christus.* De hoc singulari semine et illud apud Isaiam rectissime intelligitur: *Nisi dominus sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus et quasi Gomorrhae similes essemus.* Illud quoque, quod ait Petrus in epistola: *Renatos non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi et permanentis,* ad idem semen pertinere dubium non est, ut, qui seminis nomen in Christo seu Verbo assumente abhorrent, magis imperitiae propriae, vel quod magis judicaverim, contentiosi in se spiritus testes sunt, quam ut justa eorum in dicentes††) reprehensio sit.

Jam vero quia semel patrum dicta coepimus huic nostro opusculo intexere, alia quoque his innectamus, ne, dum Christum Dei secundum carnem filium aut Deum item secundum carnem patrem seu genitorem Christi dicimus, quasi novae adinventionis nominum usurpatores calumniam sustineamus, cum patrum secundum evangelicam et apostolicam doctrinam eadem sententia sit. Hinc Ambrosius in Lucam in haec verba: *Filii David, filii Abraham:* Qui enim, ait, fidei auctor est, ipsum asserere scriptura quoque debuit divinae generationis auctorem. Unde et Lucas putavit ad Deum originem ejus esse referendam, quod verus Christi genitor Deus sit, vel secundum veram generationem pater, vel secundum

*) ms. haec vocula necessa desit.
†) dicit (?). — ††) in contradicentes (?).

lavacri regenerationem mystici auctor muneris. Et ideo non a primo (11 generationem ejus coepit describere, sed, posteaquam baptismum ejus explicuit, auctorem omnium Deum cupiens per baptismum demonstrare, Christum quoque a Deo ordine manasse successionis asseruit, universa connexens, et†) secundum naturam et secundum gratiam et secundum carnem Dei filium demonstraret. Haec Ambrosius.

At ne quis, quod ait *secundum naturam,* ad aeternam illam ex patre Verbi genituram putet esse referendum, penset, ordinem successionis, qua eum a Deo manasse perhibet quamque ad naturam refert, non minus quam baptismum, quem ad gratiam refert, ad carnem, id est humanitatem, proprie pertinere, insuper et Christus, cujus patrem verum perhibet esse genitorem, proprie nomen hominis a Deo uncti existere, Hilarius in decimo: Cum in hominem Deus natus est, non idcirco natus est, ne non Deus maneret, sed ut manente Deo homo in Deum natus sit *(X. 7);* item post aliqua: Evacuans se ex Dei forma, et formam servi accipiens, et filius Dei et filius hominis nascens, ex suaque virtute non deficiens, Deus Verbum consummavit hominem viventem. — Nam quomodo filius Dei hominis filius erit natus, vel manens in Dei forma formam servi acceperit: si non potuit Deo Verbo Deo ex se et carnem intra Virginem assumere, et carni animam tribuere, homo Christus Jesus animae et corporis nostri perfectus est natus. Et corpus quidem ita assumpserit, ut id ex Virgine conceptum formam esse servi effecerit? Virgo enim non nisi ex spiritu sancto genuit, quod genuit; et quamvis tantum ad nativitatem carnis ex se daret, quantum ex se semine††) edendorum corporum susceptis originibus impenderent: non tamen in hoc Christus Jesus per humanae conceptionis coaluit naturam, sed omnis causa nascendi invecta per spiritum tenuit in hominis nativitate, qua matris est, cum tamen haberet in originis †††), quod Dei est. Hinc igitur maximum illud et pulcherrimum suscepti hominis sacramentum ipse ostendit dicens: *Nemo ascendit in caelum, nisi qui de caelo descendit filius hominis, qui est in caelo.* Quod descendit de caelo, conceptae originis causa est. Non enim Maria originem dedit, licet ad incrementum partumque corporis omne quod sexus sui est naturale contulerit. Quod vero hominis est filius, susceptae in Virginem originis est partus. *(X. 15.)* Et post aliqua: Dum Verbum caro factum et de caelo est, et hominis est filius et in caelo est: quia et Verbi vir-

†) ut (?). — ††) feminae (?). — †††) fort. suppl. *virtute.*

tus non corporalibus modis manens, non deerat, unde descenderat,
et caro non aliunde originem sumpserat, quam ex Verbo. Item
post aliqua: Ipse Dominus nativitatis suae†) mysterium pandens
sic locutus est: *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi. Si*
1) *quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum!* se panem
dicens. Ipse enim corporis sui origo est. Ac ne Verbi virtus
atque natura defecisse a se existimaretur in carnem, rursus panem
suum esse dixit, ut per hoc, quod descendens panis est, non ex humana
conceptione origo esse corporis existimaretur, dum caeleste
esse ostenditur *(X. 18).* Item ipse in libro nono: Humanae beatitudinis
fides vera est, Deum et praedicare Verbum et carnem confiteri,
neque Deum nescire, quod et homo sit, neque carnem ignorare,
quod Verbum sit *(IX. 3).* Cum autem contra naturam sensus
nostri Deus manens homo nascitur, non est contra naturam spei
nostrae, ut natus homo Deus maneat, cum potior natura in inferiorem
nata fidem praestet, inferiorem in naturam posse nasci
potiorem *(IX. 4).* Hucusque Hilarius. Ecce in his aliisque Hilarius,
dum et permanentiam naturarum asserit in Christo, et
homini causam asserit esse de caelo, et potiorem naturam et inferiorem
natam dicit, idque nobis fidem praestare, inferiorem in
naturam posse nasci potiorem, nusquam tamen in his patris faciens
mentionem, sed assumptionem corporis Verbo et spiritui sancto
assignans: in his itaque non aestimandus est B. Ambrosio aliisque
patribus contraria sensisse, Deum patrem genitorem Christi et secundum
carnem asserentibus. Etenim communiter cum caeteris
Verbum sibi assumpsisse carnem, sed et spiritum sanctum operatorem
incarnationis Verbi dicit; sed patrem genitorem Christi secundum
carnem non contradicit. Quis autem patrum solus diceret
omnia de ista inenarrabili generatione dicenda? Quodsi evangelistae
singuli non omnia dixerunt, sed quaedam singuli, sicut soli dixerunt,
ita et quaedam singuli ab aliis dicta vel dicenda omiserunt: quomodo
non et in patribus idem concedendum est? Dicit tamen idem
Hilarius libro decimo: Neque enim natus ex Deo homo, neque
quia natus ex Deo homo, ideo Deus est deficiens. Sed ut per se
sibi assumpsit ex Virgine corpus, ita ex se sibi animam assumpsit;
quae utique nunquam ab homine gignentium originibus praebetur.
Si enim conceptum carnis nisi ex Deo Virgo non habuit, longe
magis necesse est, ut anima corporis, nisi ex Deo, aliunde non

---

†) ms. t. *sua.* — ††) deesse vid. *hominem.*

fuerit. Et cum ipse ille hominis filius sit, qui et filius Dei, quia totus hominis filius totus filius Dei sit; quam ridicule praeter Dei filium, qui Verbum caro factum est, alium nescio quem tanquam prophetam Verbo Dei animatum praedicemus, cum Dominus Jesus (132 Christus et hominis filius et Dei filius sit. *(X. 21. 22.)*

His verbis cum B. Hilarius Christum totum filium Dei totum et filium hominis asserat, nescio quid dicat aliud totum et totum, nisi quomodo si diceret: Verbum cum carne sua, et caro cum Verbi assumentis divinitate. Cum igitur hoc totum et totum asserit filium Dei, versa vice Deus quoque totius ac totius pater est. Nasci equidem aliquid ex aliquo potest et filius ejus non esse: ut de carne nostra pili et quaedam animalia nascuntur; ut homo quoque ille singularis in Deum assumptus de spiritu sancto natus est, cujus tamen filius non est, sicut nec Verbi assumentis filius; filium vero alicujus esse proprium et de ipso non nasci, aut versa vice, illum patrem seu illam matrem esse et de ipsis natum non esse, apud omnes inauditum. Itaque et Hilarius Deum genitorem hujus hominis adstruit, quem totum filium Dei dicit. Quod utique de Deo patre necesse est intelligi, cum de Verbo aut spiritu sancto recte intelligi non possit, ne vel duo patres in trinitate sint, vel ipse sibi pater, qui et filius, sit.

Audiamus vero et Augustinum, quid super his dicat, quem tu, Follis-amare, sed non in hoc amarus, suades legendum. Quem tu si studiosius legisses, forsitan apud ipsum eadem quae invenimus invenisses, quae†) tu in nullis doctorum scriptis inveniri, sed a nobis usurpata dicebas, Christum videlicet secundum carnem dici filium Dei, et utraque substantia filium Dei, et in eo quod homo est non gratia solum, sed et natura esse filium Dei.

Augustinus in libro Quaestionum novi testamenti cap. 45 quaestio: Si ex semine David filius Dei factus est secundum carnem, hoc est, natus jam filius Dei est in utroque, quia sanctus natus est: quomodo ergo, postquam baptizatus est, dictum ei a Domino est: *Tu es filius meus dilectus, in te mihi complacui!* Responsio: Christus ex aeterno filius Dei est secundum spiritum sanctitatis; juxta carnem vero ex semine David natus est filius Deo; ut in utroque non factus Deo filius habeatur, sed natus. Illud autem, quod in baptismo audit, mysterii, non sua causa est. Nam homines audiunt, qui baptizantur; ipse autem demonstratur tantummodo, ut

†) *quae* vel *quaeque* (?).

ex hoc appareat in homine virtus Dei. Caeteri vero firmantur, quia ex hoc incipiunt esse filii Dei, cum sanctum accipiunt spiritum. Quamvis enim sanctum natum sit corpus Domini, non tamen sacramento regenerationis firmatus fuerat homo Christus esse filius Dei, nisi spiritum sanctum accepisset, juxta decretum renascibilitatis
3) donum. Nam et Judaei filii dicti sunt in devotione, non in sacramento, quod nunc operatur, ut accepta remissione peccatorum, superveniente spiritu sancto, dicantur filii Dei. Salvator igitur et natus est secundum carnem filius Dei, et post in mysterio firmatus. Nec enim poterat, quod de sancto sanctum natum est, non de Deo nasci, sed ut propositum mysterii impleretur, superveniente spiritu, non diminutum est, sed auctum. Augustinus in Enchiridio: Quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in unitatem personae unici filii Dei singulariter esset assumpta? Quae bona voluntas, cujus boni propositi studium, quae bona praecesserunt opera, quibus mereretur iste homo una fieri pars cum Deo? Numquid antea fuit homo, et hoc ei singulare beneficium praestitum est, ut singulariter promereretur†) Deum? Nempe ex quo homo esse coepit, non aliud esse coepit quam Dei filius, et hoc unicus, et propterea Dei Verbum, quod ab illo suscepta caro facta est, utique Deus: ut, quemadmodum††) una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis et caro, ita sit Christus una pars†††) Verbum et homo *(c. XXXVIII. 11).* Item: Proinde, sicut confitemur, Dominus Jesus Christus, qui de Deo Deus, homo autem natus ex spiritu sancto et virgine Maria, utraque substantia, divina scilicet et humana, filius est unicus patris Dei omnipotentis, de quo procedit spiritus sanctus *(c. XXXVIII. 12).* — Idem in libro de Praedestinatione Sanctorum: Ille homo, ut a Verbo patri coaeterno in unitatem personae assumptus filius Dei unigenitus esset, unde hoc mereretur? Quod bonum ejus praecessit, ut ad hanc ineffabilem gratiam perveniret, faciente et suscipiente Dei verbo, ipse homo ex quo esse coepit, filius Dei esse coepit *(c. XV).* Item in libro tertio decimo de Trinitate: Gratia Dei nobis in homine Christo commendatur, quia nec ipse ut tanta unitate Deo Verbo conjunctus, una cum illo persona Dei fieret filius, nullis est praecedentibus meritis assecutus: sed ex quo homo esse coepit, ex illo est et Deus. Unde dictum est: *Verbum caro factum est (lib. XIII. 17).* Item in libro I. de Trinitate: Talis fuit illa susceptio, quae hominem faceret Deum

---

†) promereretur (?). — ††) deest *est.* — †††) persona (?).

et Deum hominem (*c. XII*). Item in libro I. de Trinitate: Quia forma Dei formam accepit hominis*), utrumque Deus, utrumque homo, sed utrumque Deus propter accipientem Deum, et utrumque homo propter acceptum hominem (*c. VII*). Item Augustinus Enchiridio: Ita quippe Verbum caro factum est, a divinitate carne (134
suscepta, non in carnem divinitate mutata. — Item in eodem: Certe, qui nascuntur ex aqua et spiritu sancto, non aquae filios eos rite dixerit quispiam, sed plane dicuntur filii Dei patris et matris ecclesiae. Sic ergo de spiritu sancto natus est filius Dei patris, non spiritus sancti (*c. XXXIX*). — Augustinus super Johannem: Nos sumus filii gratia, non natura; unigenitus autem natura, non gratia. An hoc etiam in ipso filio ad hominem referendum est? Ita sane. — Item ipse super Johannem: Quod unigenitus est aequalis patri, non est gratiae, sed naturae. — Quod autem in unitatem personae unigeniti assumptus est homo, modo secundum gratiam filium affirmat, modo negat; itemque secundum naturam, modo filium negat, modo affirmat. Quomodo hunc patrem orthodoxum sibimet conciliabimus, ne sibimet ipsi contrarius sit?

Sed sciendum est, aliter dici naturam generis, quae et coessentialitatis est, aliter naturam nativitatis; itemque aliam esse gratiam adoptionis, aliam nativae unionis. Quod itaque B. Augustinus Christum in eo, quod assumptus homo in unitatem personae est, negat natura et affirmat gratia filium, de natura generis vel coessentialitatis et gratia nativae unionis est sciendum; dum vero affirmat natura et negat gratia filium, de natura nativitatis et gratia adoptionis est accipiendum. Etenim nativitatis natura non eam, quae dignationis vel filialis dilectionis est, sed solam adoptionis excludit gratiam. Nos enim prius nascimur, et postea in filios adoptamur; unigenitus vero in eo etiam quod homo est non, cum prius esset adoptatus, sed ut esset natus Deo in filium est, simul filius et homo esse per gratiam nativae unionis incipiens. Generis vero natura, quae coessentialitatis est, omnem dignationis et adoptionis inter patrem Deum et filium excludit, eam solam retentans gratiam, quae filialis dilectionis sit. Caeterum apud homines non ita; in quibus, cum coessentialitatis natura sit, unus tamen ab altero adoptatur in filium; sed nec alterius a se generis adoptare sibi, v. g. pullum asini quispiam homo valet in filium, incoessentialitate id penitus non admittente. Quid enim faceret de haeredi-

*) servi.

tatis possessione pullus asini, qui rationis compos non esset? Unde ne nos quidem Deo in filios possemus adoptari nisi per Christum divinae consortes naturae effecti. Oportet ergo, ut plenitudinem filialis dilectionis ac potestatis ille solus per nativitatis naturam simul et gratiam hauserit, de cujus plenitudine nos participantes divinae nec consortes effici atque in filios Deo adoptari possemus, ei nimirum per gratiam in fratres adoptati, qui solus generis et nativitatis natura solus non adoptivus, sed optivus filius est. Ut
15) autem homo Christus per nativitatis naturam filius Dei fieret, possibile non fuisset, nisi connaturalitas et habitudo quaedam naturarum, divinae scilicet et humanae, talis ad invicem praecessisset; quia et Virgo per gratiam simul et naturam Dei sponsa, sicut omnis quoque rationalis creatura, insuper vero et singularis gratiae privilegio esse ac dici posset, quaque Verbum Dei Deus in unam cum nostri generis substantia personam naturaliter ac supernaturaliter potuisset uniri. Haec connaturalitas inter nos et Deum non coessentialitas putanda est, sed illa potius in nobis singularis dignitatis conditio, qua ad imaginem et similitudinem Dei creati, ipsius naturaliter capaces facti sumus, ipseque nobis naturaliter capabilis est. Itaque dum in patrum dictis invenimus: Aliud Deus aliud homo —, ut est illud Augustini super Johannem: Aliud Verbum Dei, aliud homo; item ipse ad Felicianum: Aliud Dei filius, aliud hominis filius, sed non alius; item in libro de Trinitate: Cum filius sit et Deus et homo, alia substantia Deus, alia homo; et illud apud Hieronymum: Verbum Verbum est et non caro, et caro caro est et non Verbum —: de generis vel coessentialitatis solummodo natura eos dicere vel contradicere sentiendum est, ea quippe unum in Christo aliud non est. Etenim coessentialitate nec Verbum caro nec caro Verbum.

Cum vero legimus apud Hilarium: Totum Deus, totum homo, et quod non aliud sit filius hominis neque aliud sit filius Dei; *Verbum enim caro factum est!* item illud in XI. libro, quod ait de Christo: Habens in se uno eodemque per dispensationem atque naturam in Dei forma et in forma servi, sive aliqua sui partitione, quod homo est, et divisione, quod Deus est; et illud apud Leonem: nihil assumpto divinum, nihil assumenti humanum defuisse; itemque apud Hilarium: orasse ante passionem, ut hoc patri caro inciperet esse, quod Verbum; et illud: potiorem naturam in inferiorem, et inferiorem in potiorem naturam; illud quoque apud Gregorium in Homil. de die Pentecostes: Deum naturaliter factum esse ho-

minem — et si qua ejusmodi: omnia haec de natura nativitatis intelligenda sunt, non etiam de natura generis vel coessentialitatis.

Igitur natura quidem generis vel coessentialitatis caro caro est et non Verbum, et Verbum Verbum est et non caro, aliud filius Dei aliud homo, aliud assumens aliud assumptum. Verum natura nativitatis ita totus Deus in hominem ac totus homo transivit in Deum, ut nihil assumenti, ut ait Leo, humanum, nihil assumpto (136) divinum deesset. Ea natura secundum Hilarium Christus non solum totus Deus, totus homo, sed etiam totum Deus, totum et homo est, ea natura caro Verbum, et Verbum caro, Deus homo, et homo Deus est. Naturam sane, quam nativitatis dicimus, consubstantialitatis quoque naturam non inconvenienter dicere possumus. Ea quippe fit, ut diversorum generum essentiae atque essentiales proprietates unam utriusque nec interdum subsistentem constituant, sicut in Christo factum est; quod tamen et in creatione hominis primitus Deo auctore factum non dubitamus, utpote homine ex diversi generis essentiis, id est anima rationali et humana carne, substituto.

Sed quaerat forte quis, natura generis et natura nativitatis quid inter se differant. Verum hujus rei curiosus vel diligens inquisitor oculo rationis adhibito mecum advertat, naturam generis natura nativitatis non indigere, ut sit, naturam vero nativitatis sine sui generis veritate esse non posse. Natura generis primorum parentum est, natura nativitatis subsequentium filiorum; natura generis omnes angeli unum sunt, natura nativitatis omnes homines de uno substituti; natura generis Deus pater Deus est, natura nativitatis unius nec cum patre filius Deus est. Unde non sequitur, quod, si est generis natura, natura quoque nativitatis sit; sed e diverso, si est natura nativitatis, natura quoque generis esse necesse est, eo quod natura nativitatis sive nativitas semper naturam generis secum trahat. Hinc Hilarius: Quamvis, ait, non natura nativitatis, sed nativitas naturae sit, semper tamen nativitas naturam secum trahit. Fit etiam, ut nativitatis†) natura alterius in se nec originem trahat, tunc videlicet, cum de impari conceptione nativitas est. Sicut B. Ambrosius, ut memoratum est, B. Mariam cito de impari conceptione dicit credidisse. Quid enim, ait, tam impar quam spiritus sanctus et corpus? — Itaque dum ait B. Gregorius, Deum naturaliter factum esse hominem, sive alii, Christum in eo etiam quod homo est natura, non gratia esse filium Dei patris: natura nativitatis intelligenda est, quae etiam in hoc a natura

†) voci *nativitatis* in ms. praepositio *in* videtur anteposita esse.

generis differt, quod, ut superius dictum est, natura generis, quae et coessentialitatis est, gratiam dignationis excludit. Natura vero nativitatis, sicut gratiam adoptionis excludit, ita gratiam dignationis admittit.

Ergone, ais, naturam unigeniti filii Dei a natura gignentis discernis? — Absit. Non divido naturam, quae una est, patris et filii; sed geniti a genitoris proprietate proprietatem discerno. Nec vero novitate hac vocis usus fuissem, ut naturam nativitatis dicerem,
37) nisi in patrum dictis dissimilis me vocum acceptio coegisset, dum modo naturam Dei in homine adstruant, ut est substantive dicere: *totum Deus,* et, Christum in eo etiam quod homo est dicere filium Dei natura, non gratia, modo vero quasi divinae naturae in homine contradicunt†), ut: Aliud Verbum Dei, aliud homo, et: unigeniti assumptionem gratiae esse, non naturae; et multa in hunc modum, quem etiam praestrinximus*), quae nisi per dissimilem hujus vocis *natura* acceptionem simul stare non possent. Alioqui mihi, nisi talibus coacto, dicere satis fuisset Christum in eo quod homo est nativitate vel generatione sive natura, Dei filium, ut nativitatis natura dicere opus non fuisset. Nunc vero, ex quo dissimiliter naturae appellatione patres usi sunt, si hominem assumptum natura Deum, ut utique debet, quis dixerit, stat forte alius ex adverso, negans eum Deum natura, eo quod assumptum assumenti coessentiale non sit, dicens: Aliud Deus, aliud homo; Verbum Verbum est, et non caro; et, caro caro est, et non Verbum. Propter ejusmodi ego determinationes his in verbis maxime opus esse putaverim, ut, quid *secundum quid* dicatur vel negetur, palam sit. Quod autem assumptum hominem nativitatis natura Deum dicimus, nihil aliud significare cupimus, nisi veram divinitatem ipsum ex nativitate divina de spiritu sancto et virgine Maria non accidentaliter, per habitum, sed substantive traxisse. Etenim omnipotentiam et omnem sapientiam et bonitatem, qua nemo sapiens et bonus, nisi unus Deus; quae utique in Deo non aliud, quam Deus et††) divina natura sunt; quae filius, aeternaliter ex patre genitus, plene et indeminute naturaliter in eo quod natus est hausit: eadem plene et indeminute homini, sibi nativa unione personaliter unito, naturaliter ac substantive infudit, ut homo ille non solum virtuosus et sapiens, sed et Dei virtus et Dei sapientia recte, non tropice dicatur, eo quod omnis plenitudo divinitatis habitet in eo corporaliter, id est

†) contradicant (?). — *) forte *perstriximus*. — ††) ms. bis t. *et*.

substantive in corpore ipsius. Unde nihil minus habet verae ac naturalis divinitatis, quam si ab aeterno Deus ex Deo coessentialis extitisset. Ubi enim omnis plenitudo divinitatis est, quid est quod possit deesse? Plenitudinem autem omnis divinitatis in Christo esse, quod nomen hominis in Deum assumpti est, apostolo affirmante, quis audeat contradicere, nisi forte Judaico vel haeretico (138)
sensu depravatus? Quodsi aliter atque aliter naturae nomen in Christo accipi non incongrue a nobis animadversum est, id est modo pro coessentialitate modo pro essentiali divinitatis forma per nativitatem divinam ad hominem adquisita: illud simul constare debet, non adeo determinatione opus esse in divinae naturae de homine affirmatione, quantum in negatione opus est. Etenim affirmatio, quae dicit: Homo ille natura est Deus! non minus de natura, quae nativitatis est, veritatem suam obtinet, quam si nativitatis natura simul et coessentialitate omnimoda Deus, aut sola coessentialitate, non etiam nativitate, sed processione, ut spiritus sanctus Deus est, Deus esset. Negatio vero indefinita et absoluta generaliter negat, quomodo si quis dicat de aliquo: Haec res homo non est. Veritas hujus negationis constare non posset, nisi is, de quo agitur, nullus ex omnibus hominibus, videlicet nec vir nec mulier nec barbarus nec Scytha esset, et sic de caeteris; affirmationis vero veritas pro unoquolibet illorum constaret. Sic ergo de assumpto homine non est absolute negare vel dicere, quod Deus natura non sit; quin potius ejusmodi negatio nunquam absque cautissima determinatione admittenda est, quomodo si dicas: Homo assumptus non natura coessentialitatis divinae in eo quod est homo Deus est; vel ita: Homo assumptus humanitatis natura Deus non est. — Non enim natura humana in eo efficit, ut Deus sit, quamvis in eo, quod est homo perfectus ex anima rationali et humana carne subsistens, divinitatis natura sibi ingenita Deus sit. Aliter quoque Deus utraque substantia, ut ait Augustinus, divina scilicet et humana, naturalis Christi pater est; et versa vice: Christus Dei patris utraque substantia filius non adoptivus, sed naturalis; sicut B. quoque Virgo non solum hominis, sed et Dei genitrix naturalis est, eo quod utriusque naturae, divinae scilicet et humanae, in unum concursus, non innaturalis, sed utriusque naturalis vel supernaturalis sit, dum una alterius naturaliter capax, altera vero alterius capabilis est. Nec vero in hoc ulla prorsus divinae naturae sublimitatis detractio, sed potius singularis commendatio est. Etenim cum rationalis anima et angelus inter omnes creatas substantias subtilioris naturae

sint, nulla tamen anima animae, vel angelus angelo, vel homo
angelo, e †) converso, capabilis vel illius capax est — quamvis in-
terdum corpori humano vel malus vel bonus angelus illabi aut
inrepere ex divino nutu seu permissione possit, sicut febris quoque
seu vini ebrietas per humana se membra diffundit —, sed solus
Deus, qui spirituum spiritus est, adeo omni creaturae spiritali spiri-
talior atque subtilior est, ut hoc ipse angelo et humanae animae
39) esse possit ac sit, imo et amplius sit, quod ipsa corpori suo est,
ingredi videlicet eam animam vel angelum et vivificare in aeternum
potens, vel accidentaliter, sicut in omnibus beatis et sanctis angelis
et hominibus, vel substantive, quod in uno Domino nostro Jesu
Christo factum est, ut unus cum anima rationali et humana carne
subsistens sit, ita ut totum hoc Deus, totum et homo dici vere
ac proprie possit, quemadmodum totum, quod ego sum, rationale,
totum et sensibile vel mortale dici potest. Etenim eadem ratio-
nalitate, qua anima rationalis est, eadem et totum, quod ego sum,
rationale substantive est. Similiter eadem divinitate quippe quae
non potest nisi una esse, qua Verbum ab aeterno Deus, forma et
unctio est, eadem et homo assumptus substantialiter in Deum for-
matus et unctus est.

Nec praejudicare putandum est huic veritati illud Augustini in libro I. de S. Trinitate, quod sic ait: Quapropter cum filius sit et Deus et homo, alia substantia Deus, alia homo: homo potius in filio, quam filius in patre alia substantia est, sicut caro animae meae potius alia substantia est ad animam meam, quamvis in uno homine, quam anima alterius hominis ad animam meam *(c. X. 20).* In his quippe verbis B. Augustinus coessentialitatis unitatem seu differentiam perpendit, non substituendorum in unum subsistentem connaturalem naturarum unionem. Etenim ista consideratione, versa vice, nos dicere possumus, quod ad coadunandum in unam personam magis una res est anima mea cum carne sua, quam anima mea cum alterius hominis anima; similiter et in divinis, quod magis una res est Verbum cum carne sua ad coadunandum in unam personam, quam filius cum patre una res sit ad coadunandum in unam personam.

Videamus autem et moderni patres de hoc singulari incarnationis Verbi sacramento quid sentiant. Abbas Claraevallis Bernhardus, magnum utique nostro in tempore caeli luminare, in ser-

†) *et* partic. ante *e* praepos. omissa sit.

monibus super evangelium: *Missus est angelus Gabriel!* haec inter caetera locutus est: *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Quod est dicere: quoniam non de homine, sed de spiritu sancto concipies. Concipies autem virtutem altissimi, hoc est, filium Dei: ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Idem non solum, qui de sinu patris in uterum tuum veniens obumbrabit tibi, sed etiam id, quod de tua substantia, sociabit sibi. Ex hoc vocabitur filius Dei, quemadmodum et is, qui a patre est ante saecula genitus, tuus quoque amodo reputabitur filius. Sic autem et quod natum est ex ipso erit tuus et (140
quod ex te nascetur ejus, ut tamen non sint duo filii, sed unus. Et licet aliud quidem ex te, aliud ex illo sit, jam non tamen cujusque suus, sed unus utriusque filius erit. *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Attendite quaeso, quam reverenter dixerit *quod nascetur ex te sanctum,* et absque additamento. Credo, non habuit, quod proprie digneve nominaret, illud eximium, illud magnificum, illud reverendum, quod de purissima videlicet Virginis carne cum anima sua unico patris erat uniendum. Si diceret: *sancta caro,* vel: *sanctus homo,* vel: *sanctus infans!* quidquid tale poneret, parum sibi dixisse videretur. Posuit ergo indefinite *sanctum,* quia, quidquid illud sit, quod virgo genuit, sanctum procul dubio ac singulariter sanctum fuit, et per spiritus sanctificationem et per Verbi assumptionem *(hom. IV. in evang. Luc.).*

Ruodpertus quoque Tuiciensis abbas, et ipse nostri temporis praeclarum luminare, siquidem, divinis revelationibus illuminatus, totum fere vetus ac novum testamentum insigniter exposuit, in Genesin super conceptione Sarae sterilis sic inter caetera dixit: Ubi nasciturus Isaac, non jam solum, ut ante promittitur, sed et datur trinitatis mysterium; in forma angelorum se homini manifestare dignatur, quia videlicet, ubi Christus nascitur ex semine Abrahae, ejusdem Christi filii Dei incarnationem praesentia suae majestatis tota trinitas in hospitio virginei ventris operatur: et exinde nomen ejusdem trinitatis, nomen patris et filii et spiritus sancti toti mundo publica praedicatione declaratur. Nam pater est, qui Virginem impregnat: filius, qui natura induitur humana: spiritus sanctus, cujus operatione concipit Virgo, quae virum non noverat.

Hic†) pater hic spiritalis spiritalia spiritaliter examinans

†) haec (?).

plane ad intelligentiam dicere non dubitavit, malens aliquos forte, qui haec lecturi essent, divina non divine sed humanitus audire solitos, hic nares, ut assolent, corrugare, quam ambiguis aut obscuris verbis natales Christi divinos ex patre Deo et secundum
141) carnem asserere. Sed corrugent nares hi, qui nondum penitus ab humanis formarum phantasiis absoluti sunt, dum sapientia in mysterio abscondita, magnum hic magnae pietatis sacramentum operans, justificetur a filiis suis. Etenim, ut ait apostolus, *manifeste illud magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu.* Nam dum pater et ipse spiritus est nihilo minus quam Verbum ejus et spiritus sanctus, manifestatio sacramenti pietatis in carne, non spiritalis, et sancta et justa, imo ipsa justitia non esse non potest: quae non carnalibus efficientiis, sed tota in spiritu spiritalibus operationibus consummata sit. Nec plane scio, quare magis ingressum patris quam Verbi aut spiritus sancti sive operationem in Virginem abhorreant, cum quisque illorum non solum spiritus, sed et spirituum spiritus sit; nisi*) humana mens imaginationibus adsueta, se ad spiritales Dei operationes sine suarum imaginum phantasiis non valet attollere, ut magnum illud pietatis sacramentum per eam spiritalia†) dijudicantem valeat justificari.

At vero isti patres spiritalibus, ut aestimo, operationibus humanis usi verbis ad veritatem nativitatis ex patre Deo hominis Christi asserendam non timuerunt, maxime, quod videntur suis ac nostris temporibus, in quaestionem adduci, imo vero a plerisque negari, quod Deus pater Christi secundum carnem pater sit. Sed non aucupentur nostri temporis caupones, vinum hoc novum suae humanae phantasiae aqua miscentes, non, inquam, aucupentur dictum hoc, quod dicimus *secundum carnem,* quasi secundum carnis usum Christum ex patre per Virginem et ex Virgine natum arbitremur. Nam si ne Isaac quidem ex patre sene ac matre nonagenaria, cui fieri desierant muliebria, natus secundum carnem ab apostolo, sed secundum spiritum dicitur, eo quod non secundum carnis consuetum usum de juvene matre, sed secundum promissionis fidem de senibus utrisque parentibus natus sit: quanto magis in Domino nostro Jesu Christo, cum Dei patris, antiqui videlicet dierum, qui non caro, sed spiritus est, secundum carnem filius dicitur, non carnalis generandi usus, sed carnis nomine natura et sub-

*) *sed* forte legendum et reponendum. — †) ms. bis t. *spiritalia.*

stantia tantum carnis intelligenda est. Puto autem, quod apostolus quoque, dum magis factum quam natum Christum ex semine David Deo filium dicere voluit, nove et inusitate hujus generationis modum exprimere voluisse, ne, si natum ex semine David Deo filium dixisset, humanae nativitatis usu natus putari posset aut (14
non de Virgine originem accepisse.

Nunc vero inusitatum partum inusitatis verbis asserit, dum non natum, ut assolet, sed factum Deo ex semine David filium dicit, in filii quidem nomine nativitatem veram adstruens, sed in facturae nomine novitatem nascendi significans. Similiter autem et Sapientia loquitur apud Salomonem: *Dominus,* inquit, *creavit me principium viarum suarum in opera sua!* ut antiqua habet tractatio, pro eo ut dixisset: Dominus genuit me in opera sua! ne, si *genuit* dixisset, humanae generationis modus significatus putaretur, quae tamen et in se generationis proprietatem non tacet, dum se conceptam et parturiri dicit. Sic†) varietate verborum a carnalium sensibus in tempore adumbranda veritas fuit, suo in tempore spiritalibus revelanda, sicut Petro quoque non caro et sanguis, quae in Domino nostro Jesu Christo visu probavit et tactu, sed pater caelestis hujus nativitatis ex patre Deo sacramenta revelavit, ut de filio hominis, quid sentiret, ab ipso requisitus responderet, dicens: *Tu es Christus, filius Dei vivi.* Sed et patres orthodoxi, quos Dei spiritus edocuit, per creationis et facturae nomen non facturam aut creaturam in praedictis Pauli et Sapientiae verbis, sed nativitatem significari intellexerunt. Hilarius libro XII. de S. Trinitate de Ario: Secundum apostoli, inquit, dictum, facturam verae nativitati deputantem, creationem quoque, etsi indocte, tamen non impie ad generationis fidem proficere oportere, existimare debuerat. Apostolus enim videtur, unius ex uno nativitatem, id est Domini ex Virgine sine passionum humanarum conceptu praedicaturus, non ex ratione *factum de muliere* locutus esse, quem natum sciebat frequenterque dixerat, ut nativitas veritatem generationis ostenderet et factura unius ex uno nativitatem praestaret, quia humanae permissionis††) conceptum facturae nomen excluderet, cum factus esse ex Virgine diceretur, qui natus magis esse non ambigebatur *(c. 50).* Ambrosius in libro de S. Trinitate: Dicimus, inquit, factum esse hominem, et ad hominem hoc esse referendum. Denique et alibi habemus; qui factus est ei ex semine David se-

†) ms. bis t. *sic.* — ††) permistionis (?).

cundum carnem, secundum carnem utique filius factus est ex semine David; Deus autem ex Deo ante saecula natus est. Nec tamen *factum esse* semper ad creationem refertur. Scriptum est enim: *Domine, refugium factus es nobis!* et paulo post: Ergo si *factum esse* frequenter ad aliquid, non ad facturam refertur, etiam *creatum* non semper ad creaturam refertur. Unde intelligimus, illud, quod
43) de incarnatione Domini scriptum est: *Dominus creavit me principium viarum in opera sua* — illud significare, quod ad redimenda opera patris Dominus Jesus ex Virgine sit creatus.

Haec super eo, quod *factus* vel *creatus* in apostoli vel Sapientiae dictis de Christo ad nativitatem sit referendum, quamvis tamen nec nativitas facturam nec factura in Christo nativitatem ex Deo excludat, sicut nec Deus hominem nec homo Deum in ipso perimit.

Nec offendere nos debet in praemissis dictis Hilarii, quod nativitatem unius ex uno, id est Domini ex Virgine loquitur. Hoc enim facit non patrem Deum, sed patrem hominem a singulari illa conceptione excludendo. Hoc autem et verba ejus e vestigio subsequentia manifestant. Alioquin non solum evangelio et apostolicis literis, sed sibimet esset contrarius libro X. dicenti: Neque enim natus ex Deo homo, neque quia natus ex Deo homo, ideo dicitur esse deficiens! et paulo post: Si enim conceptum carnis, nisi ex Deo, Virgo non habuit, longe magis necesse est, anima corporis, nisi ex Deo, aliunde non fuerit *(c. 21)*.

Concinit huic Augustinus in sermone quodam de Nativitate Domini, non Deum patrem, sed hominem patrem ab illa singulari nativitate excludens. Ait enim inter caetera: Ambae nativitates Christi mirabiles: illa sine matre, ista sine patre. Quando genuit Deus filium, de se genuit, non de matre; quando genuit mater filium, Virgo genuit, non de viro! et paulo post: Genuit autem sibi aequalem pater et totum, quidquid est filius! item in praecedentibus: Christus filius de patre est, quidquid est. — Quid est, quod iste pater totum, quod est filius, patrem genuisse dicit, et, quidquid est filius, ex patre esse? Etenim, nisi hominem includeret, *totum* et *quidquid* non diceret. Ad verbi enim simplicitatem significandam *totum* et *quidquid* superflue apponeretur, cum non sit hoc et hoc, sed tantum simplex hoc. — Item inveniuntur pleraque patrum testimonia, Christum simpliciter creaturam dicere vetantia, quae hic subnectenda operae precium duximus. Augustinus libro I. de Tri-

nitate: *In principio,* inquit, *erat Verbum, et Verbum erat apud Deum: et Verbum caro factum est, et omnia per ipsum facta sunt.* Neque dicit *omnia,* nisi quae per ipsum facta sunt, id est omnem creaturam. Unde liquido apparet, ipsum factum non esse, per quem (14
facta sunt omnia; et, si factus non est, creatura non est. Si autem creatura non est, ejusdem cum patre substantiae est. Omnis enim substantia, quae Deus non est, creatura est, et, quae creatura non est, Deus est. Sed si filius non ejusdem substantiae est, cujus pater, ergo substantia facta est: et, si facta substantia est, non omnia per ipsum facta sunt. At omnia per ipsum facta sunt; facta igitur substantia non est, sed una cum patre infecta substantia est *(c. VI. 9).* Item in eodem: Si vel filium fecit pater, quem non fecit ipse filius, non omnia per filium facta sunt. At omnia per filium facta sunt: ipse igitur factus non est, ut cum patre faceret omnia, quae facta sunt. — Item idem in libro LXXXIV. Quaestionum: Dicitur creatura, quidquid fecit pater Deus per filium; qui non potest creatura dici, quia per ipsum omnia facta sunt *(c. VI. 12).*

At haec de Christo, secundum quod Verbum erat in principio, magis dicta contra Arianos videntur. Verum Ambrosius Christum etiam in eo quod homo est creaturam dici vetat, in libro I. de Trinitate dicens: Probemus, inquit, creaturam non esse Dei filium. Audivimus in evangelio Dominum mandasse discipulis: *Praedicate evangelium universae creaturae.* Qui universam creaturam dicit, nullam excipit. Et ubi sunt, qui creaturam Christum appellant? Nam, si creatura esset, sibi mandaret evangelium praedicari, et subjectus esset vanitati, quia testante apostolo omnis creatura vanitati subjecta est. Non igitur Christus creatura, sed creator, qui docendae creaturae discipulis mandat officium*). Ideo effusa sunt Arii viscera, atque crepuit medius, prostratus in faciem, ea, quibus Christum negaverat, foeda ora pollutus. — Item Ambrosius in libro I. de Trinitate: Non Deus factus est, sed Deus Dei filius natus est. Postea vero secundum carnem homo factus ex Maria est. *Misit enim Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.* Filium, inquit, *suum,* sed non unum e multis. Cum dicit *suum,* generationis aeternae proprietatem signavit. Postea factum ex muliere asseruit, ut facturam non divinitati, sed assumptioni corporis adscriberet. *Factum* igitur *ex muliere* dicit propter carnis (1

*) Arii hanc perfid[i]am fuisse legitur, ut Christum creaturam fateretur.

susceptionem, *sub lege* propter observantiam legis. Generatio generationi non praejudicat nec caro divinitati. Deus enim aeternus incarnationis sacramentum suscepit; non dividuus, sed unus, et in utroque unus, scilicet divinitate et corpore. Non enim alter ex patre, alter ex Virgine, sed idem aliter ex patre, aliter ex Virgine: qui factus est secundum nostrae susceptionem naturae, non secundum aeternae substantiam vitae: quem legimus primogenitum et unigenitum: primogenitum, quia nemo ante ipsum genitus; unigenitum, quia nemo post ipsum.

Ex his edocemur, qua intelligentia accipiendum sit, cum dicitur Christus *factus,* vel simpliciter vel cum additamento, ut factura scilicet vel creatura non ad assumentem Deum, sed assumptum hominem referatur. Etenim in Deo creatura esse non potest. Unde Ambrosius in libro I. de Trinitate: Nunquid dicto factus est Christus? nunquid mandato creatus est Christus? quomodo autem creatura in Deo esse potest? Etenim Deus naturae simplicis est, non conjunctae atque compositae, cui nihil accidat, sed solum, quod divinum est, in natura habeat sua.

Etsi ergo Christus secundum hominem dicitur creatura, non tamen Christus simpliciter praedicandus est creatura. Sed neque secundum hominem apposita determinatio talis mihi esse videtur, ut vel secundum quod homo est absolute creatura dicendus sit. Repugnant enim etiam in hoc sacra eloquia simul et patrum dicta. Hoc enim in paulo ante praemissis Ambrosii dictis tenemus, Christum intra omnis creaturae numerum, cui ex praecepto Dominico evangelium sit praedicandum, censendum non esse, ne et sibi praedicandum sit. Item: cum omnis creatura vanitati subjecta sit, si Christus intra omnis creaturae censetur numerum, oportet, ut ipse quoque vanitati subjectus sit. Quorum utrumque, Christo videlicet praedicari evangelium aut ipsum vanitati subjectum, tam secundum quod homo, quam secundum id, quod Deus est Christus, absurdum esse evidenter apparet. Sed et in praemissis Hilarius et Ambrosius *factum* et *creatum* in apostoli et Sapientiae verbis de
146) Christo non ad facturam, sed ad nativitatem docent esse referendum. Item Ambrosius libro de S. Trinitate: Paulus, inquit, prohibet me creaturae servire et Christo admonet serviendum. Non ergo creatura Christus. Paulus, inquit, servus Jesu Christi et bonus servus, qui Dominum recognoscit, ipse creaturae servire nos prohibet. Quemadmodum ergo Christo ipse serviret, si Christum creaturam putaret? — Vide ergo, quomodo Christum et factum et creatum

secundum aliquid Ambrosius affirmat, quem tamen creaturam esse negat. Neque vero consequitur, ut, quod secundum aliquid factum vel creatum dicitur, continuo absolute factum dicatur. Quanto minus, cum tale aliquid factum Christus dicitur, quod absolutum in ipso creaturae nomen ac nominis significationem prope perimit, inferri ex hoc valet, quod creatura sit. Nam si Christus secundum quod est homo vel in eo quod est homo absolute creatura recte diceretur, etiam secundum id quod est homo vel in eo quod est homo ei latria non deberetur. At hoc quoniam impie et contra concilium Ephesinum negaretur, etiam in eo quod est homo absolute creatura dicendus non videtur. Quemadmodum enim, si quis me hodie bonum hominem factum diceret, me hodie factum hominem inferre non posset, multo vero minus, si me hodie mortuum hominem factum diceret, inferre posset, me hodie factum hominem: ita et de Christo sentiendum, quod videlicet, dum secundum carnem factus dicitur, non statim, Christum absolute factum vel facturam esse, consequetur. Dum vero secundum carnem factus filius Dei proprius aut naturalis dicitur; dum item secundum apostolum nova creatura nominatur, dicentem: *Si qua in Christo nova creatura!* item: *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est* — quae omnia, sicut veritatem in Christo naturae nostrae testificantur, ita communis creaturae in ipso appellationem etiam secundum carnem perimunt: dum, inquam, in talibus Christus factus etiam secundum carnem deminuatur, quae communis naturae proprietatem excedunt, nequaquam consequetur, eum etiam secundum carnem communis creaturae vocabulo contineri. Unde recte patres Ephesini concilii Christi carnem vivificantem una cum Verbo adoratione, id est eadem, qua et Verbum, veneratione statuerunt adorandam, quam tamen creaturam esse non dubitaverunt. Sed quia eam creaturam super omnem creaturam intellexerunt, videlicet etiam in eo quod homo est agnoscentes eum (147)
super omnia Deum benedictum in saecula, ideo pie ab eis statutum, quod hactenus ab omni ecclesia observatur et usque in aeternum observabitur, ut videlicet unam cum Verbo adorationem homini assumpto cum Verbo assumente dependamus. Placet autem et ipsum caput inserere, in quo aliter agentes anathemaizati†) sunt: Si quis audet dicere, assumptum hominem coadorari oportere Deo Verbo et conglorificari, et coappellari Deum, ut alterum alterius

†) anathematizati (?).

(eo enim semper adjectum hoc intelligi cogit), et non magis una adoratione honorificat Emmanuel, et unam ei glorificationem defert, secundum quod factum est caro Verbum: anathema sit. — Item J. Damascenus: Duae sunt naturae*) Christi ratione et modo differentiae, unitae vero secundum hypostasin. Unus igitur Christus est, Deus perfectus et homo perfectus, quem adoramus cum patre et spiritu una adoratione cum ἀχράντω**), id est incontaminata ejus carne; non inadorabilem carnem dicentes: adoratur enim in una Verbi hypostasi, quae hypostasis generata est; non creaturae venerationem praebentes: non enim ut nudam carnem adoramus, sed ut unitam deitati in unam hypostasin Dei Verbi, duabus reductis naturis. Timeo carbonem tangere propter ligno copulatum ignem. Adoro Christi mei simul utraque propter carni unitam deitatem; non enim quartam appono personam in trinitate, sed unam personam confiteor Verbi et carnis ejus *(de fide orth. lib. III. c. 8)*. Item Augustinus in Sermone Domini, ubi dicit: *Non turbetur cor vestrum!* ita dicit: Dicunt haeretici, filium non natura esse Deum, sed creatum. Quibus respondendum est, quia si filius non est Deus natura, sed creatura, nec colendus est omnino nec ut Deus adorandus, dicente apostolo: *Coluerunt et servierunt potius creaturae quam creatori.* Sed illi ad haec replicabunt et dicent: Quid est, quod carnem ejus, quam creaturam non negas, simul cum
(148) divinitate adoras et ei non minus quam divinitati deservis? Ego Dominicam carnem, imo perfectam in Christo humanitatem ideo adoro, quod a divinitate suscepta et deitati unita est, ut non alium et alium, sed unum eundemque Deum et hominem filium Dei esse confitear. Denique si hominem separaveris a Deo, illi nunquam credo nec servio; velut si quis purpuram aut diadema regale jacens inveniat, nunquid ea conabitur adorare? Cum vero ea rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, si ea cum rege adorare quis contempserit. Ita etiam in Christo Domino humanitatem non solam vel nudam, sed divinitati unitam, scilicet unum filium, Deum verum et hominem verum, si quis adorare contempserit, aeternaliter morietur. *(Serm. LVIII. de Verb. Dom. in Joh. XIV.)* Item super Psalmum XCVIII. ubi dicitur: *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est:* Sciendum est, quia in Christo terra est, id est caro, quae sine impietate adoratur. Suscepit enim de

---

*) *φύσεως.*

**) ms, acranton, mendose ac monstruose haut dubio.

terra, quia caro de terra est; et de carne Mariae carnem accepit. Haec sine impietate a Verbo Dei assumpta adoratur a nobis; quia, nemo spiritaliter carnem ejus manducat, nisi prius adoret *(v. 9)*.

Haec patrum dicta non sinunt, ut homo assumptus a Verbo vel caro Verbi debeat absolute creatura nuncupari, ea videlicet significatione, qua dicere solemus: Omne, quod est, aut est creator aut creatura. Nam dum homo assumptus in Deum Deus est, non est in ea significatione creaturae, quae a creatore divisa sit, sed quae creatura simul et creator sit. Etenim Dominus Jesus, mediator Dei et hominum, creaturam a creatore non dividit, sed unit. Quamvis enim genere creaturae creatum permanserit creatum et increatum permanserit increatum, nativitate tamen naturae naturaliter in unum subsistentem concurrentibus naturis una hypostasis facta est, quae creator et creatura sit, in qua dum potior natura sit, ut ait Hilarius, in inferiorem et inferior in potiorem nata, naturis videlicet in alterutrum natis ac proprietates suas invicem communicantibus, quanquam propria sua retinentibus. Aliud est enim, aliquid esse ex genere naturae, atque aliud, idem esse ex (149)
natura cum alterius naturae unione. Non possunt, quatenus in Christo convenerunt, amodo ab invicem separari aut unum sine proprietatibus separatim intelligi, ut vel homo divinitatis omnipotentia careat aut post adunationem naturarum unquam caruerit seu carere possit, vel Deus humana in homine non pertulerit, aut Verbum humanatum non sit vel esse possit. Unde rectissime patribus visum est, ut verbo Flori utar, non separandum ab adoratione, quod conjunctum est unitate. Alioqui si separabilis homo ille a Deo esset, jam etiam inadorabilis esset.

Nec vero putandus est Augustinus, cum ait in praemissis: Si separaveris hominem a Deo, illi nunquam credo vel servio; velut si quis purpuram vel diadema regale jacens inveniat etc. — non, inquam, in his putandus est Augustinus non sapuisse, quod homo ille aliquatenus valeat a Deo separari, sed per unius inconvenientis impossibilitatem alterius inconvenientis injuriam exclusisse, sicut apostolus quoque (1. Cor. 15): *Si Christus,* inquit, *non resurrexit, inanis est praedicatio nostra etc.* — vel certe de privatis hominibus locutus esse putandus in his verbis Augustinus! Nam, quod habitum, qui praeter naturam sit, in Christi humanitate asserere noluerit, satis a nobis, ut aestimo, in praecedentibus improbatum est. Qui vero habitum quasi extrinsecum et qui praeter naturam sit in Christo introducunt et naturas, assumentem et assumptum

mathematico intellectu, quasi separatim et seorsim ab invicem statuentes hominem adeo separant de assumpto sine assumentis naturae communicatarum proprietatum consideratione disputantes, eos manet erroris jam olim damnati pravitas, ut dicant, hominem assumptum non esse Deum, non esse adorandum ea adoratione, quae latria dicitur, sed quadam majori specie duliae hactenus inauditae serviendum esse illi, et non eo dilectionis praecepto contineri, quo Deus praecipitur toto corde, tota anima ac tota mente diligi, sed potius eo, quo proximum sicut nosmetipsos diligere jubemur!!!

Hanc igitur consequi pravitatem ex pravo antecedenti praevidentes, patres orthodoxi diligenter ac solicite divisionem ejusmodi prohibuerunt, ut radice pravitatis succisa pessimus hic contra Deum negationis fructus prorumpere non potuisset. Hinc patres Ephesini concilii statuerunt, dicentes: Si quis in uno Christo dividit subsistentias, post adunationem soli jungens eas contignitati, quae est
(150) secundum dignitatem vel auctoritatem aut potentiam, et non magis concursu, qui est secundum adunationem naturalem: anathema sit. — Hilarius quoque divisionem Christi in Verbum, animam et carnem prohibens libro X. inter caetera: Deus, inquit, nec mortuus est nec sepultus est, et tamen ab eo dictum est: *Haec enim mittens unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Quod in corpus suum missum est, ad sepeliendum eum factum est; et non idem est, se esse suumque esse, et non unum et idem est, ad sepeliendum se fieri et ungi suum corpus; neque convenit, corpus suum esse seque sepeliri. Sed sacramentum istud divinae intelligentiae est, non ignorare Deum, quem non nescias hominem; non nescire autem hominem, quem non ignores Deum; Christum Jesum non dividere, quia *Verbum caro factum est,* et sepultum non putare, quem resuscitatum esse intelligas; resuscitatum non ambigere, quem negare non audeas sepultum. Sepultus enim est Jesus Christus, quia et mortuus est; mortuus autem est, quia et moriturus†) locutus est: *Deus Deus meus, quare dereliquisti me?* Locutus autem hoc est, quia et dixit: *Amen dico tibi, quia hodie mecum eris in paradiso.* Paradisum quoque promittens, magna voce proclamavit: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hoc dicens expiravit.* Vos nunc vel tripartientes Christum in Verbum et animam et corpus, vel totum Christum Deum Verbum in solum communis generis hominem contrahentes

†) ms. t. *mortuus.*

hoc nobis magnae pietatis sacramentum, quod in carne manifestatum est, revelate etc. *(c. LIX et LX).* — Item ipse in XI. libro de Trinitate: Ejusdem periculi res est, Christum Jesum vel spiritum Deum vel carnem Christi corporis denegare. Mediator ipse in se ad salutem ecclesiae constituitur, et illo ipso inter Deum et homines mediatoris sacramento utrumque unus existens, dum ipse ex unitis in id ipsum naturis naturae utriusque res eadem est, ita tamen ut neutro careret in utroque, ne forte Deus esse homo nascendo desineret, et homo rursus Deus manendo non esset. Haec itaque humanae beatitudinis fides vera est, Deum et hominem praedicare, Verbum et carnem confiteri; neque Deum nescire, quod homo sit, (15
neque carnem ignorare, quod Verbum sit. Cum autem contra naturam sensus nostri Deus manens homo nascitur, jam non est contra naturam spei nostrae, ut natus homo Deus maneat, cum potior natura in inferiorem nata fidem praestet, inferiorem in naturam nasci posse potiorem. *(IX. 3. 4)* Item Augustinus libro I. de S. Trinitate: Si mentem recte dicimus principale hominis, id est tanquam caput humanae substantiae, cum ipse homo, cum mente sit homo, cur non multo congruentius multoque magis Verbum cum patre, quod simul Deus est, caput est Christi, quamvis Christus homo, nisi cum Verbo, quod caro factum est, intelligi non possit?

In his patrum orthodoxorum dictis dum synodus*) subsistentiarum in Christo divisionem prohibet, naturalem eorum†) adunationem**) adstruit; dum Hilarius Christi in Deum et hominem divisionem simul et tripartitionem in Verbum, animam et corpus vetat; dum item ipse Christum neutro carere in utroque affirmat; dum utramque naturam in alteram natam contra naturam sensus nostri, sed non spei nostrae, asseverat; dum Augustinus Christum hominem sine suo capite Deo intelligi non posse adstruit, sicut homo quilibet sine mente, quae suum principale est, non valet intelligi: omnibus his perdocemur, quantum patres isti divisionem assumentis et assumpti hominis, et Dei Verbi et carnis vetuerit††), haud dubium, quin scientes, quantum malum in divisione ab alterutrarum naturarum in Christo esset, ex quo semel naturaliter unitae sunt, consequeretur, illud videlicet, quod his temporibus audimus, homini assumpto latriam et dilectionem soli Deo debitam denegari, sed sola ei dulia, quae creaturae debetur, serviendum esse, et quod

*) Ephesina. — †) earum (?).

**) ms. et hic et supra semel repraesentat adunitionem, quod aeque recte admitti potest. — ††) vetuerint (?).

ea, quae soli proximo debetur, dilectione diligendus: hominem assumptum nec potentia nec in sapientia neque in gloria unquam Deo patri suo aequari posse. Quae omnia, quid aliud consequitur, nisi ut in conscientia et fide illorum, qui talia dicunt, Deus non sit?

Ecce, quantum malum divisionem assumpti ab assumente consequitur apud eos, qui de assumpta in Christo natura, id est carne ipsius et anima, vel de hoc uno, quod ex his duobus in unum perfectum hominem compositum est, sine respectu factae in unam personam cum Verbo unionis disputant, carnem Christi sua, divini-
2) tate spoliantes! At nos differentiam quidem naturarum in suis cujusque propriis ad invicem novimus in Christo ipsarumque naturarum in suis propriis conservationem, sed divisionem assumpti ab assumente ignoramus, distinctionem recipimus, separationem abdicamus, partitionem respuimus, nisi in homine, cujus partes principales corpus et animam dicere absque injuria est. Hinc J. Damascenus: Compositionem, inquit, naturarum secundum personam confitemur inconversibiliter et inconfuse et inalterabiliter et indivisibiliter et inseparabiliter et in duabus perfectis naturis, unam personam habentibus, confitemur filii Dei et incarnati eandem personam dicentes deitatis et humanitatis ipsius, et duas naturas confitemur integras in Christo post unitionem, non separatim vel secundum partem ponentes unam quamque, sed unitas ad invicem in una composita persona. Substantialem enim dicimus unionem, id est veram, non secundum phantasiam, substantialem autem non sicut duabus unam compositam perficientibus naturam, sed unitas ad invicem secundum veritatem in unam personam compositam filii Dei *(l. c. lib. III. 3)*.

At hic venerabilis pater*), qui, sicut audivimus, indivisibiles et inseparabiles ab alterutrum dicit naturas, utpote asserens eas inseparabiliter et indivisibiliter in unam personam unitas, ac perinde**) non separatim vel secundum partem unamquamque ponendam: videamus, qui sic divisionem et separationem naturarum in Christo excludit, differentiae inter naturas nomen et significationem qualiter admittit. Paucis namque interpositis: Scimus, enim, ait, sicut unam ipsius personam, sic et naturarum ipsius differentiam salvari. Qualiter enim salvabitur differentia nisi salvatis differentiam

---

*) S. Jo. Damascen.

**) *proinde* forte legend.

habentibus ad invicem? Differentia enim differentium est differentia. *(l. c.)* — Plura de his in exemplum possemus adducere; sed hoc faciendum aliis reliquimus.

Est tamen cum†) in dictis patrum divisionis nomen pro distinctione positum inveniamus. Tale enim est illud Ambrosii: Etsi credamus a Verbo carnem assumptam, non tamen discernamus naturam Verbi et carnis; et nobis dicitur: Si recte offeras, et non recte dividas, peccasti. — Ecce pro uno et eodem a B. Ambrosio discretionis naturarum in Christo et divisionis nomen acceptum. Unde et alias in patrum dictis, si divisionem in Christo naturarum invenimus, non aliter quam pro discretione dictum debemus accipere.

Si dicit aliquis: Ergone divina natura ab humana non solum discreta, sed etiam divisa non est? — Et id quidem alias non negarimus, sed in Christo solum discreta, non etiam divisa est. In (153) Christo enim duarum significationem naturarum aliquando quam††) pro formis, ut ita dicam, specificis, aliquando vero pro essentiis vel rebus naturarum accipimus. Pro formis, ut cum dicimus: Divinitas humanitas non est, et e converso; vel illud: Aequalis patri secundum divinitatem, minor patre secundum humanitatem. Pro essentiis autem, ut: *Verbum caro factum est!* quod est dicere: Divina essentia Verbi humanam essentiam sibimet in personam univit, vel illud: Non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum — quod aliqui non perpendentes, sed aestimantes, hic humanitatem pro forma accipi, quae non possit in Deum assumi, ita ut sit Deus, magis in ecclesia voluerunt cantari, sed assumptione humanitatis in Deo, quam in Deum. At nos scientes illic humanitatis nomine, essentiam illam significari, quae ex anima rationali et humana carne in Virgine simul unum facta et a Verbo assumpta est, inoffense canimus: unus autem non conversione divinitatis, id est Verbi in carnem, sed assumptione humanitatis, id est hominis in Deum; qui tamen non ante homo factus et postea in Deum assumptus est, sed simul homo et Deus homo esse incipiens, utpote Verbo Deo in ipsa conceptione nativae unione unitus. Unde non confundimur, hominem illum vel essentiam illam, vere ac proprie, non etiam tropo aliquo utentes, Deum dicere, eo quod a Verbo assumente, quod utique forma super omnes formas est, in Deum verum eadem essentia substantialiter et naturaliter uncta et formata est. Et non, sicut aiunt quidam

---

†) cur (?). — ††) fort. omittendum.

scholastici, cum dicitur: Homo est Deus, vel: Homo ille est Deus —, nihil dici Deum, id est de nulla subjecta vel creata essentia affirmari, quod sit Deus; sed aliquid dici Deo unitum in personam, non tamen ita, ut Deus sit, nisi tropice vocibus acceptis. Dicunt tamen secundum aliquid propriam esse locutionem, quae dicit hominem illum Deum, non quidem secundum institutionem significationis vocum, sed secundum ecclesiasticae consuetudinis usum.
54) Qui etiam dicunt, hominem illum, illam videlicet assumptam essentiam, tertiam in trinitate personam non esse, sed uni trium personarum esse unitum. A quibus mihi quaerendum videtur, an aliquid fateantur esse verum Deum nisi patrem et filium et spiritum sanctum; quaerendum etiam, an homo in Deum assumptus intra hunc numerum trium socialiter comprehensus sit. Quod si ita esse dixerint, tropica locutione semota bene factum est. Si vero assumptam illam in Verbo nostri generis essentiam, quam perfectum hominem non possunt diffiteri, ex anima rationali et humana carne subsistentem, extra trium personarum numerum constituerint: videant, qualiter se a Nestoriana peste justificent; quod ego profecto videre non valeo. Quodsi eo sibi solatiantur, quod non cum Nestorio homine hominem praeter Verbum personam dicunt, parva quidem illa distantia est, hoc videlicet apud eos constante, quod et Nestorianis simul et Photinianis atque Paulianitis constitit, essentiam illam perfectam nostri generis, assumptam a Verbo, Deum non fuisse nec esse, sed quadam singulari dignitate Deo fuisse unitam; siquidem et Judaei in aliquo a Nestorianis differunt, in hoc tamen cum eis foederati, quod et ipsi hominem illum Dominum Jesum, quem viderunt ossibus et carne subsistentem, Deum esse aut fuisse diffitentur.

Quaerendum etiam ab eis aestimo, qui essentiam nostri generis perfectam divinam personam diffitentur, an saltem humanam fateantur esse personam. Quodsi et illud contradixerint, miram et monstruosam rem mihi videntur asserere, aliquam cujuspiam generis vel speciei perfectam formam subsistere sine sui generis aliquo perfecto subsistente, aut etiam aliquam rem vel essentiam perfectam et rationalem existere et tamen eandem non divinam, non angelicam, non humanam personam esse. At nos credimus, Dominum Jesum Christum, sicut perfectum Deum et perfectum hominem, ita perfectam in divinis et humanis apud Deum et homines unam personam existere; sicut ait Hilarius, quoniam Dominus Jesus Christus ex unitis in id ipsum naturis utriusque naturae res

eadem est. Quod enim ait *res*, ego non aliud intelligo, quam si dixisset *persona*. Est itaque divina, est et humana persona Dominus Jesus. Nec vero sic dividendum, ut divina persona in divina solum, et humana persona in humana solum essentia sit, sed homo cum (155)
divinitate sua humana simul et divina persona est, et Verbum cum carne sua divina simul et humana persona est. Quomodo enim utraque substantia, divina scilicet et humana, Christus divina persona non esset, qui utraque substantia, ut ait Augustinus in Enchiridio, unicus est Dei patris omnipotentis, de quo procedit spiritus sanctus? aut quomodo item utraque substantia humana persona Christus non est, qui utraque substantia filius intemeratae Virginis est?

Hoc autem et mediatoris sacramentum exigit, ut unus ipse utrumque, id est Deus et homo existens, aequaliter se habeat ad patrem et ad nos. Sicut ergo unum cum patre in natura, et unus apud patrem in persona est, ita propter mediationis aequalitatem necessarium fuit, ut unum nobiscum in natura et unus ex nobis, unus filiorum Adam in persona fieret; quod et factum est. Nec vero id personam aliquatenus in Christo duplicat vel triplicat, quod Christus divina persona et humana persona dicitur, vel quod quaelibet trium essentiarum Christi, videlicet Verbi, animae et carnis interdum, ex quo facta est unio, in significatione personae accipitur, ut: Christum esse in caelis, dum loquitur in terris — quod utique propter Verbi essentiam dicitur —; vel: Christum esse sepultum, propter solum corpus sepultum; vel: descendisse ad inferos, propter animam descendentem. Non enim singulae jam dictae sententiae†), per se acceptae, sed quaelibet illarum propter unionem personalem cum reliquis in personae significatione ponitur, et una personalitas Deum et hominem, Verbum, animam et carnem Verbi includit, eo quod Verbum suam singularem personalitatem homini contulerit. Personalitas autem filii Dei talis extitit, ut non solum divina persona ab aeterno extiterit, sed etiam humana persona nostrae naturae assumptione fieri potuerit; quod et ineffabili pietate factum est. *Verbum enim caro factum est, et habitavit in nobis*, in omnibus videlicet naturae nostrae propriis. Quin etiam Verbum ab aeterno sacramento personalis unionis semper cum carne sua, cum homine assumendo unus Christus fuit; quod B. Hieronymus in sermone de Assumptione S. Mariae manifestis scripturae sacrae probat docu-

---

†) essentiáe (?).

156) mentis. Cujus verba etiam placet intexere. Constat, inquit, tempus non praejudicasse sacramentum uniti hominis et Dei, ita ut jam esset in illo per unitatem personae ab initio saeculi, qui necdum erat natus de Maria virgine. Quod multis sanctarum scripturarum declaratur indiciis. Unde Dominus ad Judaeos: *Antequam fieret Abraham, ego sum.* Nam *Abraham antequam fieret* humanitatis est brevitas. Quibus utique verbis ostendit, se, qui loquebatur, in eo semper fuisse mysterio unitatis; quam ut commendaret: *Ante Abraham,* ait, *ego sum.* In *ego sum* autem aeternitas naturae declaratur. In qua nimirum aeternitate jam se fuisse, qui loquebatur, per sacramentum suae incarnationis, insinuat. Quod apostolus Judas elucidare volens apertius: *Jesus,* inquit, *populum salvans ex Aegypto secundo eos qui non crediderunt perdidit.* Et alibi Paulus: *Neque tentemus Christum, sicut quidam tentaverunt!* non quod jam esset Jesus, aut Christus natus ex Maria virgine, sed quia in illo unico filio Dei jam unitas personae commendabatur, quae occulta erat in mysterio. — Quod et alibi evidenter: *Qui elegit nos,* inquit, *ante constitutionem mundi in ipso.* Quia profecto, quidquid Deus fecit ab initio, Christus fecit totum per unitatem sacramenti. Et ideo Jesus jam erat in filio, qui educebat populum, et Christus in eo, qui tentabatur; quoniam semper per unitatem sacramenti in Deo fuisse non dubitatur. Alioquin nisi ita credideris, aut Christus Deus non erit omnino aut contra prophetam Deus recens esse videbitur. — Et post aliqua: Unus siquidem sua in carne, unus in sacramento atque unus in spiritu. Nec admittit omnino, ut alius filius hominis, alius filius Dei intelligatur, qui nec tempore praescribitur nec passione separatur, sed totus Deus in Christum et totus Christus transivit in Deum, ut, quidquid Dei filius est, Christus dicatur, et quidquid in carne Christus pertulit, id Deus pertulisse recte credatur. — Plura venerabilis hic pater de hac aeternitate personalis in Christo unionis prosequitur. Sed haec satis assumere de illius dictis putavimus, ad demonstrandum, quod nec homo a Deo separabilis sit tempore nec
(157) Deus ab homine passione, sed semper indivisus Christus, etiam ab aeterno extiterit et nunquam sacramentalis illa unitas divisionem admittere possit.

Quodsi opponitur nobis: Quia sic erat homo, antequam esset homo? respondebimus, non esse contrarium, hominem sacramento personalis unionis prius fuisse, quam crearetur in opere; sicut in nobis quoque, corpore in cinerem redacto et in aërem et cetera

elementa resoluto, subsistente adhuc anima personali illa unitas indissolubilis est, quominus adhuc corpus illud cum anima sua unus homo et una persona sit. At haec unitas magis apud Deum reposita, quam apud nos manifesta est, utpote *cui omnes vivunt,* et cui facilius sit humanum corpus de pulvere suscitare, quam nobis, excitare dormientem. Itaque una persona semper erat, est et erit homo assumptus cum assumente se Verbo. Et quia sic personam describunt, personam dicentes individuum rationali subesse, vel quod per se una sit: liceat nobis fiducialiter dicere, Verbum cum carne sua unum divinum et humanum individuum esse, eo quod Verbum a carne Verbi nec sit nec aliquando dividuum fuerit, sicut nec per se, id est praeter sacramentalem carnis suae unionem, unum fuisse, sacramentalis illa, quam diximus, aeterna unio sinit, ne, si aliter esset Christus, homo videlicet in Deum assumptus, aut non omnino Deus aut recens Deus inveniretur.

Haec itaque persona sive utriusque naturae suae nomine, quod est Christus, sive utriuslibet naturae suae nomine significetur, ut est, homo vel Deus, sive etiam, cum trium essentiarum, videlicet Verbi, animaeet carnis adunativa sit, ex quibus et in quibus Christus est, cujuslibet harum essentiarum nomine appelletur, sive etiam earundem, essentiarum seu naturae utriuslibet propriis significetur: non talis, id est tam diversa personae nominatio personam illam, quae Christus est, duplicat vel triplicat, cum singulorum†) nominibus vel propriis Christus totus ex duabus et in duabus naturis subsistens intelligatur, v. g. si dixeris: Verbum Dei Deus persona vel Christus est; vel: Homo filius Virginis Christus vel persona est; aut: Quod unxit Maria corpus Christi, Christus vel persona Christi est. Haec enim essentiarum singularum propria sunt; non magis diversis his enunciationibus persona duplicatur vel triplicatur, quam deorum pluralitas introducitur, cum dicimus: Pater Deus, filius Deus, spiritus sanctus Deus est. In singulis enim his tribus enuntiationibus proprietatum quasi differentia in subjectis est; sed in praedicata forma nulla vel temporis vel loci vel situs vel habitus vel relationis vel alia quaelibet ex decem potest differentia intelligi, ut per hoc tres deos esse concludere possis. E diverso autem in Christo cum na- (15
turarum et essentiarum diversitas sit, ex quibus et in quibus Christus una persona est, similitudo tamen et in hoc est, quod de singulis his essentiis, cum Christum praedicaveris, non tamen duos

†) singularum (?).

vel tres Christos concludere poteris. Simul et hoc sciendum, quod quaelibet essentiarum seu naturarum, ex quibus et in quibus Christus est, supposita sive per suum proprium in suppositione intellecta, non ipsa sola, sed cum caeteris sibi unitis intelligenda est, ut, si Verbum personam vel Christum dixeris, a Verbo carnem Verbi non separes, sed unitum intelligas. Similiter, si hominem, si carnem, si animam Christi supposueris vel suppositum in scripturis adverteris, v. g.: Mortuus est Christus; sepultus est Christus; qui descendit ad inferna, Christus est: in singulis suppositionibus non illud solum, quod ex proprio suo supposito intelligitur, v. g. homo, cujus propria est mors; corpus, cujus sepultura; anima, cujus descensio ad inferos propria est, sed, sicut in omnibus, ita in singulis propter unitatem personae totus Christus intelligendus est. Et est praedicatio paene unius de eodem, cum haec sive omnia sive potius unum ex omnibus vel singula Christus esse dicuntur. Hac autem persona supposita sive per nomen utriusque naturae significativum, quod est Christus, sive per unius naturae nomen proprium, quod est homo vel Verbum, utramque naturam sive formam et quae ejus propria, competenter et vere poteris enunciare, v. g.: Christus est Deus; Christus est homo; Christus in caelo; Christus in sepulcro; Christus in inferno; item: Homo est Deus; Deus est homo; Verbum est caro, et: caro est Verbum; homo in caelo, dum loquitur in terris, Deus in sepulcro positus, et in inferna descendens. Et inconsequens quidem est ista connexio dictionum; sed, sicut ante nos dictum, inconsequens connexio dictionum non praejudicat veritati dictorum. Sed et, si unam essentiarum, videlicet sive assumptam sive assumentem supposueris, alterius essentiae formam sive naturam praedicare poteris, hoc modo: Assumptus est Deus, et: Verbum assumens homo est. Etenim assumpta essentia genere quidem naturae homo est, sed assumptione et nativitatis de spiritu sancto natura est Deus; item, Verbum assumens genere quasi naturae et essentialitatis natura Deus est, sed assumptione [hominis]*) et nativitatis virginei partus, natura est homo.

Nec recipimus determinationem quorundam, qui, cum audierint dici: Deus est homo, vel: Homo est Deus — dicere solent: Si per-
(159) sonam supponis, verum dicis; si naturam, mentiris; maxime si naturam pro essentia et non pro forma acceperint. Formas enim

*) in ms. haec vox desiderabatur.

divinitatem et humanitatem dicimus. De quarum neutra altera enunciari poterit, hoc modo, ut dicas: Divinitas est homo; et: Humanitas est Deus. Quanto minus est dicere: Humanitas est divinitas, et e converso; quas etiam formas per hoc nomen, quod est homo vel Deus, supponere non est. Verum hoc nomen *Deus* tam personae quam naturae significativum est, sive naturam pro forma sive pro essentia accipias; hoc enim in Deo diversum non est. Unde et conversim de se praedicabilia sunt, hoc modo: Divinitas est Deus; et: Deus est divinitas; item: Divinitas divinitatis essentia est, et divinitatis essentia divinitas. In Deo enim non est diversum id, quo est, ab eo, quod est. Omne enim simplex, ut ait regula, esse suum, videlicet, quo est, et id quod est unum habet. Similiter et hoc nomen *homo* tam personae quam essentiae humanae significativum est, non autem ad significandam humanitatis formam solet applicari; quam ego non idem esse cum humanitatis essentia dixerim. Etenim essentia ex forma est, non forma ex essentia. Similiter autem essentia naturaliter personalem subsistentiam praecedit, quamvis tamen sine illa actualiter esse non possit. Primum est enim, esse; deinde, quid esse; tertio, aliquam rem esse. Primo est, esse formam, qua est; secundo, quod ea est, v. g. homo vel asinus; tertio est, aliquem hominem esse vel asinum aut aliquid caeterorum. At quia in Domino Jesu Christo, sicut et in singulis nobis, non erat prius esse hominem, deinde aliquem hominem, simul ipse homo, et ille homo, qui Verbum, utpote de spiritu sancto conceptus, erat esse incipiens. Unde non est hominem illum a Verbo, in quid conceptus et in quid natus est, vel intellectu separare, quamvis tamen naturarum essentialis distinctio sit. Aliud est enim naturam a natura distingui, aliud separari; siquidem et in me rationalitatis et sensualitatis distinctio est, non etiam separatio. Sed et rationalis atque sensibilis in me distinctio potest intelligi, quamdiu subsisto, non etiam separatio, siquidem rationalitate rationalis sum, non etiam sensibilis, et e converso. Invenimus et rationale absque sensibili in angelis et sensibile absque rationali in pecudibus, ut in nobis quoque unius ab altero facilior absque separatione essentiarum distinctio sit. Itaque distinctione habita sensibilem essentiam supponere possum et de ipsa rationalitatis formam praedicare, et e converso, non autem negatione unum ab altero separare. Similiter autem et in Christo, distinctione formarum, id est divinitatis et humanitatis, quarum neutra altera est, essentiarum quoque, divinae scilicet et humanae, Verbi et (160)

hominis†) assumpti et assumentis habita, una earum supposita alterius essentiae forma praedicari de illa vere, ecclesiastice ac proprie potest, ita ut dicas: Homo est Deus, vel: Assumptum est Deus; itemque: Verbum est caro vel homo; et: Assumens essentia est homo. Differentiis enim hae duae propriis essentiae distinctae sunt, ut una illarum valeat supponi, et alterius essentiae forma et quae ejus propria sunt, de ipsa substantive praedicari. An vero et essentia enunciari possit, non video: eo quod essentia una ab altera essentialibus proprietatibus distincta sit, quamvis indivisa. Unde ait J. Damascenus non solum differentias naturarum, sed et quae differentiam habeant ad invicem, in Christo salvari. Differentia enim, inquiens, differentium differentia est; nec possunt salvari differentiae, nisi salvatis ad invicem habentibus differentiam. — Unde vere dicimus: Deus est homo; Deus*) gloriae est crucifixus; Verbum est caro, et: Verbum ambulavit in campis, et e converso: Homo est Deus, homo creator, homo miraculorum operator; sicut vere diceres de hoc rationali, quod ego sum: Hoc rationale est caro vel sensibile; hoc rationale sedet et ambulat; itemque: Hoc sensibile est rationale; hoc sensibile ratiocinatur, disputat et intelligit. Et in his omnibus inconsequens connexio dictionum non praejudicat veritati dictorum. Discretio tamen in omnibus his adhibenda est, quid *secundum quid* dicatur. Dum enim dico: Caro est Verbum, et: Verbum est caro! non confusionem essentiarum, non conversionem unius essentiae in alteram, non coessentialitatem unius cum altero††) praedico, sed naturalem unius cum altera unionem atque unionis unitatem denuncio, quae tantam habet vim, ut, quod ante unionem unius essentiae erat proprium, jam non sit ab alia essentia alienum. Unde vere de hoc sensibili, quod ego sum, dixeris, quoniam sua rationalitate intelligit, disputat, ratiocinatur; et de eodem rationali, quoniam sua sensibilitate comedit, dormit, ambulat etc.; non†††) vel rationalitas sua sensibilis vel sensibilitas sua rationalis genere naturae sit, sed quod utriusque sua haec et illa facta sit naturalis unionis natura. Hoc igitur in Christo sentiendum est, quod et in nobis, et si non amplius, illud videlicet, quod homo sua divinitate miracula operatus et Deus sua humanitate humana passus sit; non quae utriusque essentiae sua sit genere††††) naturae, sed quae utrique essentiae sua facta est naturali naturarum in unam

*) *dominus* forte leg.

†) ms. t. *homini*. — ††) altera (?). — †††) non quod (?). — ††††) ms. t. *generae*.

personam perfecta unione, et per eam, quae secundum virginalem partum ex Deo est, nativitatis naturam. Etenim sicut genere na- (16 turae nec Deus homo nec homo Deus est, ita nec genere naturae divinitas sua hominis aut humanitas sua Dei fuit, sed, quod utriusque essentiae genere naturae suum non fuit, per naturalem essentiarum sive naturarum unionem atque unionis unitatem, eam videlicet, quae per virginei partus ex Deo nativitate†) facta est, divinitas sua illius, videlicet hominis, et humanitas sua Verbi esse coepit.

Ac proinde stabit et illud: *Quod natum est de carne, caro est; et quod natum est de spiritu, spiritus est.* Etenim quod sumptum est de carne, genere naturae et coessentialitatis natura caro est; et quod sumptum est de spiritu, genere naturae et coessentialitatis natura spiritus est. Sed dum et Deus cum carne sibi unita ex Virgine, et homo cum divinitate sibi unita ex Deo per Virginem et ex Virgine natus est: per nativitatis naturam utrique essentiae naturale ac suum factum est, quod ei ex genere naturae in natura non fuit, spiritum videlicet esse carnem, et carni esse spiritum. Unde sicut vere dicimus: Deus est homo, et: Homo est Deus: ita vere, si ecclesiasticae locutionis esset usus, dicere possemus: In Domino Jesu, quia ipse caro est spiritus, et spiritus caro est, nisi quod, haec nomina cum sint magis essentiarum quam personae significativa, dum una essentia alia diceretur, alterius in alteram conversio vel abolitio facta posset putari, quamvis tamen divina eloquia etiam locutionis hujus formam interdum admiserint. Unde est illud: *Spiritus ante*) faciem*) nostram*) Christus Dominus!* item: *Factus est primus homo in animam viventem, novissimus autem in spiritum vivificantem.* Etenim etsi homo factus, qui est Christus, genere naturae caro est, ipsum tamen naturaliter spiritui Deo unitum divini spiritus virtutem induisse ac per hoc in virtute spiritus esse, dubium non est; eo quod nihilominus ipse quam spiritus ejus unitus vivificare animas potens est, adeo ut patribus quoque Ephesini concilii carnem Christi vivificatricem dici debere complacuerit. Idque non suo arbitratu, sed divina ipsius Christi auctoritate sanxerunt, dicentis: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Simul quoque et alia quaedam Christus ostendit in carne sua, per quae spiritus virtutem ac proprietatem demonstravit

---

†) nativitatem (?), nisi *per* praepos. excidat. — *) *oris nostri*, edit. Vulgata.

in carne, ut est, quod de clauso Virginis utero egressus est quodque in uno sedens loco integrum et indivisum corpus suum diversis in locis manducandum tradidit, sicut nunc quoque in suo sancto loco nobis incognito manens in universa ecclesia corpus suum indivisum cuique fideliter sumenti Christiano in multis simul millibus
32) locorum praestat manducandum. Et qua id efficacia fieri credimus, nisi quia corpus ejus non solum genere naturae corpus et caro est, sed et per naturalem cum Verbo, quod utique spiritus Deus est, factam unionem virtute sibi naturaliter uniti spiritus est indutum, ut, quidquid spiritus Deus potest per divini generis naturam, id quoque caro Christi vel Christus possit per naturaliter uniti sibi Verbi in se virtutem transfusam? Sed in virtute spiritus carnem Christi esse, carnis non perimit naturam, sicut, in carnis quoque natura Christum vel carnem Christi esse, virtutem spiritus divinam a carnis ipsius veritate non excludit.

Non quod doceamus, sicut Follis ille amarus nobis imponit, corpus Christi, quod sumimus, non aliter in tam multis locis simul esse posse, nisi Christus corporaliter sit ubique, sed quod virtutem specialem in corpore Christi essendi ubi ipse voluerit praedicemus. Et haec quidem facultas in eodem corpore Christi etiam adhuc mortali erat, sed, donec tempus dispensatoriae obedientiae transiret, exercenda non erat. Nunc vero, postquam Christus ejusque corpus in Deo per resurrectionem et ascensionem absconditus est, sicut ait apostolus: *Quoniam vita nostra***) *abscondita est cum Christo in Deo!* quemadmodum tempore dispensationis divina fortitudo et omnimoda Dei virtus, quae non aliud quam Deus vel divinitas est, in Christo ejusque corpore mortali erat abscondita. Unde propheta Abacuc de cornibus crucis in manibus ejus vel de manibus ejus in cruce cum praemisisset: *Ibi,* inquit, *abscondita est fortitudo ejus.*

Postquam igitur, ut dictum est, Christus absconditus est in Deo, sicut Deus in Christo erat pridem absconditus, cum Deus ubique sit: quomodo non et Christum in sese abscondit, eum ubicunque ipse voluerit ad ecclesiae suae salutem operandam corporaliter exhibiturus? Si enim Christus in angusto suo tunc corpore Deum praesentialiter in loco exhibuit, non tamen loco inclusum: quomodo nunc Christus Deo ubique existenti deesse poterit, in omni loco ubi sibi placuerit non etiam ipse nunc nostrorum more

*) Audin' haec, Calvine atque Luthere, cum turma tua?
**) *vestra,* Col. 3.

corporum inclusus? Haec enim se simul non patiuntur, loco inclusum esse et simul totum in diversis et a se valde remotis locis existere. Quod autem Deus ubique esse dicitur et est, localium diffusione spatiorum aestimandum non arbitror, quemadmodum lux ista solaris per ampla spatia diffusa est, sed virtute et veritate nusquam deessendi. Sicut enim anima corpori sensificando nusquam deest, non tamen ipsa localibus diffusa vel distenta spatiis, sed visibili invisibilis exhibitione virtutis; et sicut veritas et sapientia, cum et ipsa magna sit, non tamen mole vel distentione spatiorum, sed virtute magna est, idque de creata etiam sapientia
et veritate sentiendum sit: quanto magis credendum, quod increata (163
et creatrix sapientia ubique sit non corporalium spatiorum distentione locis dispertibiliter diffusa, sed ubique praesentiae suae veritate et virtute essentialiter ipsa tota subsistens, quamvis aliter in electis, aliter in reprobis sit. Inest enim electis ad sanctificandum eos et beatificandum; inest vel adest reprobis ad judicandum eos et conscientias eorum diverberandum, aut certe, ut insensibiles propriae caecitatis per obdurationem spiritus exhibeat. Adest quoque creaturae insensibili per operandi in ea ac per eam invisibilem potentiam, ad benefaciendum per eam piis pariter et impiis aut etiam per eam contra insensatos pugnandi, sicut scriptum est: *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.* Dum ergo Deus ubique sit, magis vero nusquam desit omnisque ei locus praesentialiter adsit, dumque etiam Christus et ipse Deus ubique manens sit: quomodo per divinitatis suae ubique praesentem essentiam, in qua Christus absconditus est, non etiam semet ipsum in suo corpore ubique exhibere potens est? Propter hoc ergo credimus scripturae, et cum ipsa pariter confitemur, *quia spiritus ante faciem nostram Christus Dominus;* item: *Etsi cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus.* Quod autem Christum (quod nomen utique uncti†) substantialiter in Deum hominis est) spiritum dicimus, non hoc facimus essentiam de essentia praedicando, sed virtutem essentiae vel naturae potioris inferiori essentiae assignando. Non enim genere naturae sive essentialitatis natura caro sive homo spiritus est, sed omnis spiritualis efficaciae virtute. Unde est illud apud Hilarium: Superior natura in inferiorem nata, fidem praestat, inferiorem naturam in naturam posse nasci potiorem. — Hoc enim non de genere vel coessentialitatis natura, sed

---

†) uniti (?).

de virtute naturae sentiendum. Nam et de virtute naturae potioris in inferiorem nata †), potior natura inferiori naturae vel essentiae naturaliter unita comprobatur, et sic de virtute naturae natura divinitatis demonstratur in homine. Nam, dum caro ejus vivificatrix et verus animae in vitam aeternam cibus est (quod solius Dei ac divinitatis est proprium), divinitas essentialis ac naturalis carni probatur in carne. Divinitatem vero carni Christi naturalem assero, non quidem, ut saepe dictum est, genere naturae, sed ejus, quae ex Deo per Virginem et ex Virgine est, nativitatis natura.

Itaque, ut ex his, quae praemissa et disputata aliquamdiu
64) sunt, aliqua nobis inferre liceat, has in Christo praedicationes recipi posse videtur, videlicet personae de persona, sic tamen, ut geminatio personae non sit, hoc modo: Divina persona humana persona est, et e converso; vel: Christus divina et humana persona est! sive utrumque separatim praedicetur, simul etiam personae de utraque essentia, hoc modo: Deus est persona; vel: Homo est persona: quodlibet eorum supponis, ab altero non dividis, sed distinguis, nec personam aliam de uno, quam alio praedicabis. Item persona per hoc nomen Christus, vel per alterius naturae nomen, sive etiam per utriuslibet naturae proprietatem, supposita utriusque, sive utriuslibet essentiae formam de persona poteris enunciare, hoc modo: Christus est Deus et homo; vel: Christus est Deus homo; vel: Christus est homo Deus; vel: Deus est homo; et: Homo est Deus; Deus infirmatur, et: Homo omnipotens; Deus crucifixus, homo creator; Deus in cunis, puer stellarum creator. Haec enim nomina, *Deus homo, puer vir,* in Christo tam essentiarum quam personae unius significativa sunt; ac proinde per eadem nomina modo persona illa una modo altera essentiarum supponi potest; et dum dicitur Deus esse homo vel homo esse Deus, non mihi videtur determinationem adhibere necessarium, ut dicas: Homo secundum divinitatem est Deus, vel: Deus secundum humanitatem est homo, vel: Christus secundum humanitatem est homo et secundum divinitatem est Deus; sed interdum, quando relationem significas, ut illic: Aequalis patri secundum divinitatem, minor patre secundum humanitatem. Interdum dico, quia non semper admittit relatio determinationem, ut v. g., si dicas: Christus est filius Dei! addi non oportet *secundum divinitatem,* ne a filiatione Dei videaris hominem exclusisse. Item, si dicas Christum filium hominis, non expedit addi

---

†) natae (?).

secundum humanitatem, ne cum Nestorio videaris negare Virginem genuisse Deum Dei filium. Quando autem actum aliquem vel passionem enuncias, tunc omnino determinatio habet locum. De quibus superius largius dictum et disputatum est. Verum negativae illae: Homo non est Deus, vel: Deus non est homo! supposita essentia, non etiam persona, nullatenus absque determinatione certa dici vel patienter ab ullo audiri debent; nam de persona negatio omnino mentitur. Potest autem esse determinatio hujusmodi, quae sola mihi admitti posse videtur: Homo genere naturae vel essentialitatis natura non est Deus, et: Deus genere naturae et essentialitatis natura non est homo. Sed de hac determinata nunquam absoluta*) debet concedi. Etenim utraque essentia, quod genere nec minus habet vel est, id nativitatis natura consecuta est. Negative, inquam, facile admitti non debet. Hoc enim esset assumentem ab (165)
assumpto separare; hoc esset turturem illum singularem sive columbam Dominum Jesum, quem in fide offerimus quique se ipsum pro nobis patri sacrificium obtulit, ferro dividere et caput ejus contra legis mandatum a corpore separare.

Nos autem, etsi differentiam naturarum sive essentiarum in Christo novimus, separationis ferrum non admittimus, docti exemplo patriarchae Abraham. Qui cum ex mandato Domini in typum unici hujus sacrificii, quo Christus semet ipsum patri obtulit, vaccam triennem, capram trimam, et arietem trium annorum, turturem quoque et columbam obtulisset, dimembratis animalibus et partibus altrinsecus positis aves jam dictas ferro sectionis non tetigit. Quid enim per tria haec animalia quadrupedia quam conversationem Domini nostri Jesu in carne accipere congruentius possumus? Quia videlicet praesentia corporali tres nobis secundum Deum conversandi modos instituit, videlicet piae actionis, sanctae contemplationis atque in alios exercendi regiminis. Vacca namque, foetibus aptum animal et lacte foecundum, congrue activae conversationi aptatur, eo quod filiorum simul et piorum operum foecundior caeteris conversationibus ipsa sit. Hanc nimirum conversationem Dominus in semet ipso exhibuit, cum per triginta fere annos communiter inter homines degens, quemadmodum Joannes Baptista de illo ait: *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis!* legi per omnia subjectus extitit, parentibus obedivit.

Caprae autem sacrificium Dominus Jesus semet ipsum obtulit,

*) forte leg.: *absolute*.

dum post baptismum solitariam degens vitam mentemque ad caelestia sustollens hoc nos suo exemplo simul et verbo perdocuit, *quoniam non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Ubi et diabolum vicit, et manens cum bestiis angelos ministros habuit.

Arietem vero semet ipsum per reliquos tres annos sacrificium obtulit, quando electis sibi discipulis dux gregis sancti factus est, in omnibus his trinis ipse, utpote patrem secum manentem habens et spiritum sanctum aeterna in se statione quiescentem.

Turtur vero solivagus est Dominus Jesus, dum se patris recognoscit unicum, tale quid dicens: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor;* item: *Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est;* columba vero, dum et filius hominis existens fratres nos habere ac nominare non dedignatur, dicens: *Nuntiabo nomen*
166) *tuum fratribus meis;* item ipse Mariae: *Vade,* ait, *ad fratres meos!* item: *Ecce ego et pueri mei.* Itaque vacca et capra, simul et aries conversationi Christi in terris deputantur, turtur vero et columba duabus in Christo naturis assignantur. Sed vide, ne avibus his ferrum sectionis injicias Deum ab homine vel hominem a Deo separando, Verbum a filiatione hominis aut hominem ab unici Dei filiatione dividendo, hominem omnipotentem aut Deum crucifixum negando aut de una essentiarum in Christo sine respectu naturali†) cum altera unionis disputando, si Deum fidei tuae sacrificium acceptare volueris. Caeterum vaccam et capram simul et arietem licet tibi dimembrare et in frusta concidere, quia et obedientia activae conversationis Christi, qua caro ejus Deo sacrificium exhibita est, multos habet articulos actionum simul et passionum, in quos possit dividi. Contemplationis quoque ejus remotio, qua cum diabolo tertio congressum ac triumphatum, qua jejunio XL dierum simul et orationibus continuis, laudibus quoque et gratiarum actionibus anima illa sancta exercitata est, non et suis, in quos dividi possit, caret articulis. Doctrinae quoque ejus magisterium simul et operationum insignia, parabolarum quoque varietas in plures artus dividi possunt, tantum ut turturi sive columbae, jam dictis, nemo separationis mucronem injiciat.

Quin et aves aliae diversae, videlicet haeresium opiniones, funda verbi Dei per virum fidelem abigendae sunt, ne sanctas has divisiones foedare aut turturem hunc sive columbam rostro vel

---

†) naturalis (?).

unguibus laniare praevaleant. Distinctiones tamen atque differentiam naturarum in Christo non ignoramus, simul etiam essentiarum differentium permanentiam novimus, quae talibus negativis enuntiari possunt: Divinitas humanitas non est, et e converso; item: Divina essentia Christi humana ejus essentia non est, nec humana divina. Quale et illud est apud Hieronymum: Verbum Verbum est, et non caro; et caro caro est, et non Verbum! et illud apud J. Damascenum: Creatum permansit creatum, et increatum increatum. In quibus tamen verbis jam dicti patres magis mihi videntur permanentiam atque differentiam essentiarum adstruere, quam absolute unum de altero negare. Unde, sicut istis negationibus contradicere nolim, ita eas†) praeter determinationem appositam vel subintellectam assentiendum esse non arbitror. Alias enim in patrum dictis invenio de Christo dictum: Non solum totus Deus, sed et totum Deus. Simul carni*) Christi, quae mihi adoranda est, durum mihi videtur absolute divinam essentiam negare, vel caro**) Christi ne Verbum sit aut ne Verbum caro, absolute contradicere, sed apposita vel subintellecta determinatione concedendae sunt. (167)
Etenim Verbum sive divina Christi essentia genere naturae vel essentialitatis natura Verbum et divina solum essentia est, non etiam caro est; et caro sive humana essentia eadem determinatione caro est, non etiam Verbum. Verum naturali unione et nativitatis virginalis ex Deo partus natura et Verbum caro et caro Verbum, divina essentia humana et humana divina effecta est, qua et totum Deus et totum homo est. Caeterum, cum dicitur: Divinitas non est humanitas, et e converso! nulla determinatione opus est. Verum si determinate dicas: Humanitas Christi divinitas non est! quamvis etiam hoc omnino genere naturae verum sit, non tamen penitus absolutum habet intellectum. Nam si formam, non etiam essentiam supposueris, verus intellectus est; essentiam vero suppositam, quae non aliud quam Christus esse potest, divinitatem negare, non penitus est absolutum. Dum enim caro Christi vivificationem mihi praestat meque deificat — quod solius divinitatis est proprium, sicut justitiae facere justum, sapientiae sapientem facere proprium est —; dum id, quod solius divinitatis est proprium, caro Christi mihi praestat: etsi genere naturae caro est, virtute tamen mihi quodammodo spiritus et divinitas effecta est. Ad hoc autem et illud Domini dictum pertinere arbitror: *Spiritus est, qui vivificat;*

---

†) eis (?). — *) ms. habet *carnem*. — **) ms. habet *carnem*.

caro non prodest quidquam. Etenim caro genere tantum naturae intellecta non prodest quidquam, sed eadem caro spiritus, id est in virtute spiritus intellecta vivificat; ubi ipsa caro propter virtutem specialem spiritus nominata est, quod parum ab eo differt, ac si propter virtutem divinitatis in carne ipsa caro divinitas diceretur. Ad quam virtutem et illud pertinet, quod, sicut *spiritus, ubi vult, spirat,* ita ista de spiritu nata et virtute spiritus induta, ubicunque vult, statim in multis simul millibus locorum adest. Ubicunque fuerit cadaver; ubicunque vel in quocunque homine sacramentum passionis Christi fuerit rite celebratum; ubi mors Domini in sacramento altaris ecclesiastice fuerit annunciata: statim aquila ista adest, sacramenti speciem induens seque nobis in via ista, quasi in alia effigie, praebens. Late enim, ut ait Ambrosius in Lucam, funditur Dei virtus, late caelestis sapientiae magnitudo porrigitur. Nihil praescriptum, nihil circumscriptum, nihil emensum, nihil di-
(168) mensum trinitas habet. Non loco clauditur, non opinione comprehenditur, non aestimatione concluditur, non aetate variatur. Dedit quidem Dominus Jesus hominibus magnitudinem. *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.* Non in fines mundi tamen, non in fines caeli, non ultra caelos. At vero in Domino Jesu omnia *condita sunt in caelo et in terra, visibilia et invisibilia, et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant.* Caelum aspice: Jesus illic est; terram intuere: Jesus adest. Ascende verbo in caelum, descende†) verbo in infernum: illic adest. Hodie, cum loquor, mecum est, intra hoc punctum, intra hoc momentum. Et si in Armenia nunc loquitur Christianus: Christus adest. Nemo enim dicit Dominum Jesum, nisi in spiritu sancto. Abyssos opinione si penetres, illic quoque Jesum videbis operari. Scriptum est enim: *Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendit in caelum? id est Christum deducere. Aut quis descendit in abyssum? hoc est a mortuis Christum reducere.* Ubi ergo non est, qui caelestia, inferna, terrena complevit? Bene ergo magnus est, cujus virtus mundum complevit, qui, ubicunque est, et erit semper; quia regni ejus non erit finis *(lib. II. 13).* Et haec quidem verba Ambrosii ad Verbi solum essentiam restringi possunt, nisi quod ascensio in caelum et descensio in infernum magis humanae Christi naturae quam Verbi propria sunt. Audiamus vero et alias item super Lucam quam divina S. hic pater de Christi sessione loquatur:

---

†) ms. t. *descende.*

Dixit Dominus Domino meo: Consummaturus, inquit, praecepta Dominus fidem ac misericordiam testamenti sui fine complevit, fidem in eo, ut Christum et Dominum Deum nostrum et ad dextram Dei sedere credamus: non quod corporaliter sedeat, qui ubique est. Denique ipse in patre, quia in substantia Dei, quia una virtus, una majestas. Ipse ergo et in patre et in ipso pater, quia Deus in Verbo et Verbum in Deo est. Ipse in patre, sedens ad dexteram patris, quia patri consors nulli secundus. Ipse missus a patre, quia descendit de caelo patris impleturus arbitrium. Tolle hinc perfidiae quaestiones, et plena religio est *(lib. X. 1).* Idem in eodem: In horto Christus captus est et sepultus; in horto crevit, ubi et resurrexit, et factus est arbor, sicut scriptum est: *Sicut arbor*) mali inter ligna silvae**), ita frater meus inter medium filiorum.* (169) Ibi ergo sit Christus, ubi fructus est. Granum est, cum comprehenditur; arbor est, cum resurgit, arbor mundum obumbrans; granum, cum sepelitur in terra, arbor, cum elevatur in caelum; granum est, cum dicitur: *Nonne hic est filius fabri?* Sed inter haec verba crevit subito, testantibus Judaeis; qui quasi latae arboris ramos non comprehenderunt dicentes: *Unde huic ista sapientia?* Granum itaque est figura, arbor sapientia. *(lib. VII. 179. 180. 184).* Item ipse: Quid sibi vult, quod Joseph et Nicodemus Christum sepeliunt? Unus justus et constans, alter in quo dolus non erat. Justus autem corpus Christi operit sindone, innocens ungit unguento. Vesti ergo et tu Domini corpus gloria sua, ut ipse sis justus. Etsi mortuum credis, operi tamen divinitatis suae plenitudine. Unge illud myrrha et aloe, ut bonus odor Christi sis *(lib. X. 136. 137).* Idem exponens illud: *Mulierem fortem quis inveniet?* Videamus, quid huic viro suo faciat, quid opus ejus, quid sit obsequium? Cur confidit in ea Christus? Bona uxor virum suum vestit. Vestiat Jesum fides nostra corpore suo, vestiat carnem ejus divinitatis suae gloria, sicut et illa bona vestimenta fecit viro suo, ut in praesenti saeculo et in futuro saeculo honorificet eum. — Videamus et alium patrem, de Christo et ejus loco sive adventu valde divina sentientem. J. Chrysosthomus locum illum in Mathaeo pertractans: *Sicut fulgur exit ab oriente, et paret usque in occidentem, ita erit adventus filii hominis:* Manifestum et velocem volens ostendere Christi adventum, fulguris similitudinem introduxit. Sicut enim, cum exierit fulgur, non solum videtur ab hominibus,

*) malus. — **) silvarum.

sed adhuc secundum qualitatem fulgoris sui condigne aspicitur: sic et, cum venerit Christus. Non solum enim omnes eum aspicient, sed secundum mensuram, imo immensitatem gloriae ejus non poterunt eum sufficienter aspicere. Et non solum magni-
70) tudo ejus omnem locum implebit, sed adhuc magnitudine ejus deficiet omnis laus, sicut scriptum est: *Ignis ante ipsum praecedet et inflammabit in circuitu ejus inimicos ejus. Alluxerunt fulgara ejus orbi terrae; vidit, et commota est terra.* Quem ergo peccatores videbunt, etiam nolentes, quomodo eum videbunt desiderantes? Et sicut fulgur in ictu oculi universa pertransit, sic et filius Dei non veniens adhuc, sed jam venisse videbitur. Si enim sol, qui ad ministerium nostrum creatus est, tantam habet splendoris virtutem, ut, in quacunque caeli parte fuerit, longe lateque appareat quasi praesens: quanto magis sol spiritalis Christus, cum venerit, in toto videbitur mundo. Magis autem in eo mundus videbitur. Hinc apostolus ait: *Quem suis temporibus ostendet beatus et solus potens.* Non dixit: quem mittet. Christus enim cum sit ubique, non venit de loco ad locum; sed ubique ostenditur, qui est celatus ubique. — Et post aliqua: *Et videbunt filium hominis venientem in nubibus caeli, cum virtute magna et majestate. Mittet angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabit electos a quatuor ventis:* Qualis rex, talis et praeparatio regis. Virtutes angelicae commovebuntur; terribiles ministri, terribiliorem dominum praecedentes Cherubim et Seraphim praeparantur ad solium; vivus et rationabilis thronus, vivam sapientiam portaturus. Nec potest esse res mortua, quae bajulat vitam. — Haec patres isti divinissime de Christi ubique praesentia loquuntur, simul B. Ambrosio negante, ipsum corporaliter sedere, qui ubique est. Sed et Hieronymus, contra Vigilantium scribens, sensum ejus animalem irrisit, quo sanctos Dei sub ara Dei corporaliter inclusos asserebant.†) Lege, inquit, evangelium. Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob non est Deus mortuorum, sed vivorum. Si ergo vivunt, honesto juxta te carcere non claudantur. Ais enim, vel in sinu Abrahae vel in locum refrigerii vel subter aram Dei animas apostolorum et martyrum consedisse, nec posse suis tumulis, vel ubi voluerint, adesse praesentes. Senatoriae videlicet dignitatis sunt, ut non inter homicidas teterrimo carcere, sed in libera honestaque custodia, in fortunatorum insulis et in campis Elysiis recludantur.

---

†) asserebat (?).

Tu Deo leges ponis, tu apostolis vincula injicis, ut usque ad diem judicii teneantur custodia, se sint cum Domino suo, de quibus scriptum est: *Sequuntur agnum, quocunque ierit.* Si agnus ubi- (17
que, ergo et hi, qui cum agno sunt, ubique esse credendi sunt. Et cum diabolus et daemones toto orbe vagentur et celeritate nimia ubique praesentes sint, martyres post effusionem sanguinis sui ara operientur inclusi et inde exire non poterunt. *(5.)*

Ecce patres isti concorditer praedicant, ut verba ipsorum sonare videntur, Christum sive agnum esse ubique. Sed quis hoc intellectus capit? quis vero contradicere audeat, cum de sanctis quoque credi*) oporteat, eos, quibus voluerint, esse praesentes? Alioqui nisi praesto nobis sancti ubique locorum orantibus essent, frustra eos in litaniis nostris per nomina citaremus. Quid autem velle possunt sancti, qui jam cum Deo sunt, nisi quod velle eos ipse vult, quem praesentes contuentur? Qui, cum ubique praesto sit, quidquid ipso volente volunt, ipso quoque operante consequuntur, quatenus per ipsum et in ipso, ubi oportet, et ipsi praesentes sint, et in omnia vidente et ipsi omnia videant, quae beatitudini ipsorum eos scire et videre conducit. Sic B. Benedictus, in visione noctis totus vigil, lumine quodam divino circumfusus et illustratus, totum mundum quasi in brevi sphaera collectum asperit atque in ipsa luce Germani Capuani episcopi animam caelos ascendentem vidit. De qua visione B. Gregorius id sensit, quod anima theorici hujus potius fuerit dilatata. Animae enim, inquit, videnti Deum angusta fit omnis creatura, quia**) quod ei mundus fuerit in brevem sphaeram contractus. Sic et B. Martinus Brictionem***) de quibusdam verbis coarguit, quae longe absens de ipso fuerat locutus. Nonne, inquit, aures meae ad os tuum erat†), quando hoc eminus loquebaris? — Est enim quaedam spiritalis latitudo sive amplitudo, qua theoricae atque prophetales animae, Deo se inhabitante, mirabiliter dilatantur, quatenus absentia tanquam praesentia videant, longe autem praeterita longeque post futura quasi coram posita contueantur. Unde est illud, *quod de tempore illo locutus est homo, quando non erat homo!* et illud: *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Quod si de anima theorici hominis hoc sentiendum est, quanto magis de anima

---

*) *credere* forte. — **) haec vox hic redundare videtur.
***) Briotium.
†) erant (?).

Christi credere ac sentire oportet, quam Verbum Dei sibi substantialiter univit quamque substantialiter inhabitat. Quid videlicet eam substantialiter inhabitans sapientia ad omnem sui amplitudinem
72) tetenderit, quod citra longum, latum et altum atque profundum sui eam non reliquerit?

Est autem longum sapientiae aeternitas, latum immensa charitas, altum majestatis sublimitas; profundum vero sapientiae Dei judiciorum arcanum est. Non dico jam, quare illum elegerit, et non illum. Horum enim unum judicii, alterum misericordiae est. Nec satis aut nimis illud profundum est, quod aliquatenus scrutabile est. Sed quare potius istum eligat quam illum, hunc potius reprobet quam istum, cum tam istum quam illum eligere vel reprobare possit: ego judico nimis et inscrutabile profundum. Nam si dixero, quod ab aliquo ante me dictum est, hunc esse benedictionis, alium vero maledictionis et irae filium: benedictionis qua benedixit Deus primis parentibus ante peccatum, dicens: *Crescite et multiplicamini!* maledictionis vero, qua dictum est mulieri post peccatum: *Multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos:* videbor quodammodo in Deum maledicentem culpam refundere atque ipsum, qui perit, a suae perditionis causa reddere absolutum. Jam vero, si ita est, non omnes aequaliter peccavimus in Adam, sed quidam, id est benedictionis filii, in eo recuperabiliter alii vero, id est maledictionis filii in eo irrecuperabiliter peccaverunt. Quod si ita est; si aliorum benedictio inpermutabilis et aliorum perditio irrecuperabilis: frustra nitimur, ac nisi praecipimur alios de igne rapere, nostram quoque per bonam operationem electionem et salutem certam facere. Aut si haec ipsa maledictio et benedictio reprobatio et electio intelligenda est: iterum reditur ad illud inscrutabile judiciorum Dei profundum, quare potius istum quam illum sic benedicendo elegerit, alium vero sic maledicendo reprobaverit. Hoc ergo sapientiae Dei majestatis altum, judiciorum profundum, charitatis inaestimabile latum, aeternitatis interminabile longum, quod Verbum Dei Deus genere ex aeterno habuit, anima Christi ex naturalis cum Verbo unionis veritate substantive consecuta est, ita ut ex jam dicto alto, profundo, lato et longo nihil defuerit. Etenim etsi anima illa non est aeterna essentia, est tamen aeterna in Verbo Dei effecta persona. Est et aeternam sapientiam plene ac substantive consecuta, quae in principio erat apud Deum, et per quam mundus factus est; quae non aliud quam ipse Deus est. Simul, cum divinitas non aliud quam aeternitas sit, et e converso, in eo,

quod divinitatem homo Christus Jesus consecutus est, eum etiam aeternitatem consecutum esse, dubitari*) non oportet. (175

Neque vero nos aeternitatem nunc interminabilem moram, sed incorruptionem et inpermutabilitatem divinam nominamus. De qua dicitur: *Ego sum qui sum!* et: *Qui est, misit me!* et illud: *Nemo novit filium, nisi pater; neque patrem quis novit, nisi filius.* Etenim aeternitatem, sicut est, summe et incommutabiliter nosse, non est aliud quam aeternum esse. Quod etsi nobis promissum est, filio tamen substantivae cognitionis et sapientiae privilegium soli incommunicabile permanet. Hanc ergo aeternitatem, hanc aeternitatis cognitionem, hanc sapientiam anima Christi substantive consecuta est, ut non solum ea quasi accidentaliter sapiat, sed quid amplius, cum ipsa etiam sapientia effecta sit. Neque enim in illorum sensum venio, qui dicunt, animam illam, quamvis nihilominus Verbo sapiens sit, non tamen ipsa sapientia effecta sit (?). Aliud est enim, inquiunt, sapientia sapere, et aliud sapientiam esse. Verba Hugonis, viri illustris, haec sunt, quae in firmamentum sui sensus trahit. Sed ego virum illustrem nequaquam putaverim absolute negasse, animam illam sapientiam Dei esse, sed determinate cum subintelligentia sensus, qui verus est. Etenim si quis dicat, animam illam genere naturae vel essentialitatis natura sapientiam non esse, verum dicit; si quis vero absolute negaverit, mentitur. Ita enim anima illa cum carne sibi unita a Verbo assumpta est, ut Verbum caro, id est homo, et caro, id est homo Verbum factus sit. Non quod genere naturae unum sit aliud effectum, sed quod naturaliter unionis natura homo Deus et Deus homo factus sit. Simul sciendum, sapientiae nomen interdum ad significandam essentiam, aliquando etiam ad significandam personam assumi. Nam personam significat, ut illic: *Sapientia aedificavit sibi domum!* et multa in hunc modum. Pro essentia vero accipitur, si dicatur: Anima Christi sapientia sapit, non autem ipsa sapientia est. Hoc enim si de persona negaretur, plane evangelio esset contrarium, in quo legimus, quia *Verbum caro factum est!* ubi etiam conversam intelligimus, quia caro facta sit Verbum. Sed et apostolus†) Christum Dei virtutem et Dei sapientiam nominat, hominem videlicet sapientiae et virtutis Dei non falso, non adulatorie, sed vere personam Verbi Dei nomine honorans. (174)

---

*) *dubitare* forte.

†) ms. t. *apostolum*.

Sed nec in illorum sensum venio, qui dicunt, animam Christi omnem sapientiam Verbi habere, sed omni potentia majestatis carere. Jam enim totam se homini sapientia Dei non univisset, si profundum sui homini communicans, quem assumpserat, altum sui, latum quoque sive longum eidem negasset. Audio autem dominum, postquam resurrexit a mortuis, de se confitentem, quoniam data sit ei omnis potestas in caelo et in terra. Quaero autem: Cui data est, homini an Deo? Sed Christus in eo, quod Deus ex aeterno est, omnem divinam ex aeterno potestatem habuit. Nec donari eum eadem potestate in eo, quod eam habuit, opus fuit, sed in eo, quod homo est, eam potestatem accepit, in quo prius eam non habuit, *ut omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Jesus Christus (quod utique nomen assumpti hominis est) in gloria est Dei patris.* Quod ita patres nostros sensisse, exaltationem videlicet Christi ad consessum patris ad nostri generis naturam in Christo pertinere, ipsorum verba testantur, quae hic partim subtexere curabimus, ne de Christi exaltatione nova dogmatizare putemur aut scripturas evangelicas et apostolicas in alium sensum deflectere praeter eum, qui a patribus jam olim approbatus est. Caius*) papa et martyr: Cum unus sit Dominus Jesus Christus, et verae deitatis veraeque humanitatis in ipso uno una prorsus eademque persona sit, exaltationem tamen, qua illum, ut Doctor gentium dicit, *exaltavit Deus et donavit illi nomen, quod super omne nomen* excellit, ad eam intelligimus pertinere formam, quae ditanda erat tantae glorificationis augmento. In forma quippe Dei aequalis erat patri filius, atque inter genitorem et inter unigenitum nulla erat in essentia discretio, nulla in majestate diversitas. Nec per incarnationis mysterium aliquid decesserat Verbo, quod ei patris munere redderetur. Forma autem servi, per quam impassibilis deitas sacramentum magnae pietatis implevit, humana humilitas est, quae in gloriam divinae potestatis evecta est. — Item Leo Magnus in Sermone ad pop. de adventu sancti spiritus: Dicente B. Joanne apostolo: *Nondum erat spiritus datus, quia Jesus erat nondum*
(175) *glorificatus* — Domini descensio†) dandi spiritus erat ratio. Quem ille necesse est neget datum, qui ad consessum aeternae††) dexterae verum in Christo hominem negat esse provectum. Nos autem, dilectissimi, ad beatam aeternitatem et animae et corporis per

*) ms. *Gaius* e pronunciatione veteri genuina.
†) l. *ascensio*. — ††) praestat *paternae*.

generationem sancti spiritus adoptati sacratissimum†) hujus diei festum rationabili obsequio celebremus, confitentes cum B. apostolo Paulo, quia Dominus Jesus *ascendit in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus, ut evangelium Dei per omne humanae vocis eloquium praedicetur, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris (LXXVI. c. 8).* Item in eodem: Ad sananda fidelium cordium vulnera clavorum et lanceae servata erant vestigia, ut non dubia fide, sed constantissima scientia teneretur, eam naturam in Dei patris consessuram throno, quae jacuerat in sepulcro *(LXXIII. c. 3).* Et post pauca: Tunc, inquit, ad aequalem patri filium eruditior fides gressu mentis coepit accedere; et contrectatio††) corporeae in Christo substantiae, quae patre minor est, coepit non egere, quoniam glorificati corporis manente natura eo fides credentium vocabatur, ubi non carnali manu, sed spiritali intellectu par genitori unigenitus tangeretur *(LXXIV. c. 4).* Item: Magna et ineffabilis erat causa gaudendi, cum in conspectu sanctae multitudinis super omnium creaturarum caelestium dignitatem humani generis natura conscenderet, supergressura angelicos ordines, et ultra archangelorum altitudines†††) elevanda, nec ullis sublimitatibus modum suae provectionis habitam††††), nisi aeterni patris recepta consessu illius gloriae sociaretur in throno, cujus naturae copulabatur in filio. Quia igitur Christi ascensio nostra provectio est, et, quo praecessit gloria capitis, eo spes vocatur et corporis: dignis, dilectissimi, exultemus gaudiis et pia gratiarum actione laetemur. Hodie enim non solum paradisi possessores firmati sumus, sed et caelorum in Christo superna penetravimus, ampliora adepti per ineffabilem Christi gratiam, quam per diaboli amiseramus invidiam. Nam quos virulentus inimicu: primi habitaculi felicitate dejecit, eos sibi concorporatos Dei filius ad patris dexteram collocavit *(LXXIII. c. 4).*
Item Leo Papa ad Pop.: Non est dubium, dilectissimi, naturam humanam in tantam connexionem a Dei filio esse susceptam, unde (176)
solum in illo homine, *qui est primogenitus totius creaturae,* sed et in omnibus sanctis suis unus idemque sit Christus; et sicut a membris caput, ita a capite dividi non possunt membra. Quamvis enim istius vitae non sit, sed aeternae, ut sit Deus omnia in omnibus, tamen etiam modo templi sui, quod est ecclesia, indivisus

†) ms. t. *sacntissimum.* — ††) l. *contrectatione.* — †††) ms. t. *altitudine.* — ††††) habitura (?).

habitator est, sed quod ipse promisit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Quibus apostolus consonans ait: Ipse est caput corporis ecclesiae, qui est principium et primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, et per eum reconciliari omnia in ipso *(LXIV. c. 3).* Item: Amplectentes igitur, dilectissimi, christianae spei unicum pignus non divellamur a compage corporis Christi, *in quo habitat,* sicut apostolus ait, *omnis plenitudo divinitatis corporaliter,* et estis in ipso repleti. Nam cum incorporea sit substantia Dei: quomodo corporaliter in Christo habitat, nisi quia caro nostri generis facta est caro deitatis, ita ut in illo simus Deo repleti? *(LXV. c. 5.)* Item Leo: Quamvis ergo unus sit Dominus Jesus Christus et verae deitatis veraeque humanitatis in ipso una prorsus eademque persona sit neque hujus unionis soliditas ulla possit divisione sejungi, exaltationem tamen, qua illum exaltavit Deus, *et donavit illi nomen, quod est super omne nomen,* ad eam intelligimus pertinere formam, quae ditanda erat tantae glorificationis augmento *(XXXII. c. 1).* Item Leo papa in Homil. de Epiphan.: Consummant magi desiderium suum et ad puerum Christum eadem stella duce perveniunt. Adorant in carne Verbum, in infantia sapientiam, in infirmitate virtutem, et in hominis veritate dominum majestatis. Utque sacramentum†) fidei suae intelligentiaeque manifestent, quod cordibus credunt, muneribus protestantur, thus Deo, myrrham homini, aurum offerunt regi, scientes humanam divinamque naturam in unitate venerandam, quia, quod erat in substantiis proprium, non erat in potestate diversum *(XXXII. c. 1).* Hilarius libro III de Trinitate exponens, quod Dominus patrem suum orans dicit:
(177) *Et nunc clarifica me, tu pater, apud temetipsum ea claritate, quam habui prius, quam mundus esset apud te:* Verbum, inquit, caro factum non amiserat, quod erat, sed coeperat esse, quod non erat; non de suo destiterat, sed quod nostrum est acceperat profecto ei, quod accepit, ejus claritatem expostulat, unde non destitit. Ergo, quia filius Verbum et Verbum caro factum, et Deus Verbum et hoc in principio apud Deum et Verbum ante constitutionem filius, nec caro factus orabat, ut hoc patri caro inciperet esse, quod Verbum *(c. 16).*

Cujus claritatem dicti noster ille saepe dictus Follis-amarus

†) ms. t. *sacramenti.*

tanquam lippientibus oculis ferre non sustinens, translatorem deceptum dicit articulum pro articulo posuisse — quasi Hilarius non Gallus, sed Graecus fuerit —, dicens potius hanc sibi translationem placere, ut is patri caro inciperet esse, qui Verbum. Sic aliorum inscientiam pandere volens suam prodit, in uno hoc brevi versiculo informiter caecatus, primo quidem†) intelligentiam dicti obscuri ex causis dicendi simulque circumstantiis dictorum non percipit; deinde quod ipse errans alios etiam in errorem mittere non metuit; tertio dum, quod omnibus fere aliter esse notum est, Hilarium Graecum esse mentitur. Cur non potius Hilarii tibi semetipsum subsequenter exponentis expositio complacuit, ne has ineptias meditari tibi opus fuisset? Etenim cum dixisset, ut hoc patri caro inciperet esse, quod Verbum, ne putaretur essentiae in essentiam permutationem velle asserere, continuo dicti obscuri expositionem subjunxit dicens, ut id, quod de tempore erat, gloriam ejus, qui sine tempore est, acciperet, ut in Dei virtutem et spiritus incorruptionem transformata carnis corruptio absorberetur. Et cur ista tibi expositio non placuit, ut Hilarii obscura se ipso potius exponente intelligeres, quam tuis figmentis ejus dictorum sanitati derogares? Sed forte tuis lippientibus oculis etiam ista expositio nimium et intolerabilem splendorem invexit, utpote non credentis, id, quod de tempore est, gloriam ejus, qui sine tempore est, unquam posse accipere. Sic enim loqui et scribere soles: Non coaequatur Christus patri in gloria, nisi in quo et consubstantiatur; sed non consubstantiatur patri in eo quod homo est; in eo igitur quod homo est (178)
patri in gloria non coaequatur. — Sed videamus, argumentum tuum quam vim habeat. Et primo, quod††) constat, non omnes personas, quae invicem consubstantiantur, esse pares in gloria, siquidem omnes homines, sibi inter se consubstantiales cum sint, non tamen unius vel similis dignitatis vel potentiae esse palam est. Nam alii regia sublimitate praecellunt, alii vero sub regibus differentium ordinum gradibus principantur, alii vero militari cingulo insignes, alii autem ultimae servitutis conditione premuntur. In sacerdotio quoque quantae graduum et dignitatum sive ministrationum distinctiones sint, nostra demonstratione non indiget. Similiter autem et angeli in caelis, cum inter se omnes consubstantiales sint, non tamen omnes sunt Seraphim aut Cherubin, sed in novem ordines dissimilis dignitatis distributos esse, ecclesiastica tenet traditio.

†) quod (?). — ††) primo quidem (?).

Videamus autem et conversam†), an videlicet omnes, qui aequantur in dignitate vel in gloria, etiam consubstantiari per omnia necesse sit. Auctoritas evangelica tradit, atque fides Ecclesiae tenet, homines sanctos atque perfectos angelis futuros esse in gloria aequales, dicente ac promittente nobis hoc Domino. *Filii*, inquit, *illius regni neque nubunt neque ducunt uxores. Aequales enim sunt angelis, et sunt filii Dei, cum sint filii resurrectionis.* Item Joanni dictum est in Apocalypsi: *Mensura hominis, quae est angeli.* Sed palam est, homines per omnia non consubstantiari angelis. Etenim angeli cum sint natura spiritus rationales, corpore animali et vegetali carentes, in hoc solo eis consubstantiamur, quod mente ac spiritu et ipsis corrationales sumus, quibus, ut dictum est, aequales futuri erimus in gloria. Cum igitur nec consubstantialitas aequalitatem gloriae aut dignitatis expostulet nec aequalitas gloriae per omnia consubstantialitatem requirat, tale est argumentum tuum, quomodo si dixisses: Si non est sensibile, non est rationale. Quorum utrumque aliud excedere invenitur. Etenim rationalitas sensualitatem in angelis, sensualitas vero rationale in bestiis et pecudibus excedit.

Aliud quoque argumentum affert adversum nos tua garrula et discissa loquacitas. Dicis, secundum nos probari posse filium patre majorem. Quod ita asseris. Tibimet ipsi, ais, inveniris contrarius, si quidem hominem, quem alias Verbo minorem praedicas, aequalem patri alias praedicare non metuis. Sicque, dum exemplo Arii minorem patri filium non audes facere, contrarium Ario incurris errorem. Si enim in persona Christi humanitas Verbi minor est Verbo et in naturarum unione, ut dictum est, idem aequalis est patri, pater filio, quod dictu nefas est, minor est. — Hoc argumentum tuum est; sed non satis fideliter ex nostro assumptum. Nam primum quidem nostrum non diffitemur, quod ais: Si in persona Christi humanitas minor est Verbo; sed quod adjungis: Et in
(179) naturarum unione idem est aequalis patri! de tuo adulteratum est. Non enim nos tantum ex naturarum unione, sed simul ex naturae humanae in Verbi gloriam per resurrectionem et ascensionem assumptione hominem in gloria esse Dei patris, asserimus, patri videlicet consortem et aequalem in gloria. Sed dum nos hominem assumptum conditione naturae Verbo assumente minorem dicimus, quem tamen Deo patri aequalem in gloria ex privilegio assumptionis

†) conversim (?).

et glorificationis praedicamus: videant, qui possunt, ex tam dissimilibus causis aequalitate et minoritate assignata, qualiter inde inferre†) valeat, patrem filio esse minorem; quod ego utique non video. Si enim hoc ideo, quod homini Christo, secundum aliquid Verbo patrique minori, sed in gloria aequato, ipse aequalis dicitur, sic etiam patrem semet ipso minorem posset asserere, eo quod filius ipso etiam secundum aeternitatis genituram in aliquo minor, eidem tamen in gloria et potentia aequalis asseritur; nec potest aequalis nisi ad aequalem dici. Quod autem filius etiam in eo, quod ex aeterno Deus ex Deo est, patre in aliquo minor non*) sit, testatur Hilarius hoc modo: Pater, inquit, dum pater est, major est; sed filius, dum filius est, minor non est. Et quasi exponens, quid dixerit, adjungit: Generatio patrem majorem constituit, sed filium nativitatis natura minorem esse non patitur. Sic autem et consequenter dicere potes: Filius, dum ex patre est, minor est; sed dum unius naturae cum patre est, patri aequalis est. Sicut ergo paternae gloriae non detrahit, quod ipse filio sibi in potentia et gloria aequali aequalis, cum tamen idem filius secundum hoc, quod ex patre principio est, patre minor est: sic et paternae gloriae non detrahit, quod**) in Deum assumptus et propter passionem mortis gloria et honore coronatus patri consors et aequalis in gloria praedicatur, cum tamen idem homo genere naturae††) patre minor dubitari non debeat. Sic autem et apud homines persaepe duos invenis in dignitatis potentia aequales, quorum tamen unus alteri originis conditione minor sit, nec tamen detrahere dignitati alterius, quod in aliquo se minori, dignitatis tamen potentia aequali aequalis ipse dignitatis potentia praedicatur. Itaque et hoc argumentum tuum per similium inconsequentiam explosum est.

Prospice autem tu tibi, ne id, quod frustra nobis imponere nísus es, ex tuis assertionibus consequatur, patrem videlicet, quod dictu nefas est, filio esse minorem. Tu enim similiter ut nos, filium in eo quod Deus est patri aequalem esse in gloria, non dubitas; quem etiam in eo quod homo est non in omnem gloriam Verbi assumptum, sed minore quadam super omnes ordines angelorum gloria sub Deo glorificatum praedicas. Lex autem aequalium naturaliter talis est, quod, si uni aequalium in eo, quo aequale alteri

†) *inferri valeat* aut *inferre valeant* (?).

*) haec negatio in ms. desiderabatur.

**) *homo* sc., quae vox a librario forte omissa est.

††) ms. t. *natura*.

(180) dicitur, aliquid addideris, aequali suo majus fieri necesse sit. Sed dum tu filio, patri in gloria ab aeterno aequali, secundum id quod homo est gloriam non quidem divinam, sed aliam quandam, magnam tamen gloriam accessisse dicis, ipsum utique hoc argumento†) gloriae paternae in gloria majorem constituis.

Verum hic error pessimus eos non consequitur, qui filium in eo quod homo est in gloriam Verbi, quam sibimet ipsi homini postulavit, assumptum asseverant. Ea enim gloria semetipsa vel paterna gloria major esse non valet. Non enim hic in filio gloriae duplicatio vel augmentum, sed in unitatem paternae gloriae secundum id quod homo est praedicatur assumptio. Hanc gloriam datam Christo evangelia, apostoli et omnis fere ss. patrum coetus asseverat. Hanc Ephesinum concilium in hominem Christum confirmat, cum eum una glorificatione cum Verbo et non inferiore aliqua glorificandum denunciat. Hinc pater Augustinus carnem Christi adorandam praedicat: Nemo, inquiens, carnem Christi manducat, nisi prius adoraverit. Et non dividitur, inquit, ab adoratione, quod conjunctum est unitate. — Quod etsi alias, super Joannem videlicet, de gloria, quam filius postulaverit a patre, parcius loquitur dicens, eam sibi claritatem filium in tempore postulasse, quam ante tempora praedestinatam habuit apud patrem, dum ait: *Et nunc clarifica*††) *me, tu pater* etc.; si, inquam, in his parcius de gloria hominis locutus est, totum in hoc uno sermone instauratur et suppletur, quo ait carnem Christi divina adoratione venerandam. Hac etenim gloria, cui adoratio debetur, quae pietas et theosebia et latria dicitur, ego judico nullam posse esse majorem. Hanc enim nulli praeterquam uni soli et vero Deo competere certum est. Et hanc utique in hominem illum praedestinatam idem pater Augustinus nescire non potuit, eo quod eum filium Dei in virtute praedestinatum juxta sermonem apostolicum non nesciret. Quae utique virtus et veritas unicae filiationis Dei a gloria Dei inseparabilis est. Haec enim gloria maxima hominis illius est, esse filium Dei in virtute; qua major nulla esse potest.

Unde idem B. Augustinus, exponens illud: *Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea:* Gloriam, inquit, suam Dominum dicit ille, quem sic suscepit Verbum, ut simul cum illo homo fieret. — Itaque hominis illius gloria propria et specialis divinitas
(181) ejus est. Et haec quidem gloria tempore dispensatoriae humilitatis

†) augmento (?). — ††) ms. t. *crarifica.*

erat occulta; sed, ex quo *ascendens in altum captivam duxit captivitatem et dedit dona hominibus,* manifesta mundo facta est. Est autem nomen gloriae divinae in Christo ad duo aequivocum, ad eam videlicet, qua ipse in se gloriosus extitit et semper erit, et ad eam, quam ei creatura maxime rationalis dependet cum debita reverentia, id semper in eo recolens, quod creator, Dominus et Deus ejus sit. Et ab ea quidem gloria, qua Deus Verbum in se gloriosum est quaeque Verbo connaturalis est, nunquam Verbum in sui essentia destitit; sed ad nostra se inclinans et sua nostris invehens ac nostra sua faciens in nostris jam suis paulo minus non solum a patre et se ipso, sed etiam ab angelis minoratus est. Itaque consummata ac proprie in instanti consummanda obedientia eam gloriam nostrae in se naturae jam suae factae expetiit, a qua Verbum in suis nunquam recessit. Sed et pro ea gloria postulationem intelligere, quam†) ipse tam in suis quam in nostris tanquam verus Deus a nobis glorificandus est, non erit incongruum. Verum eam gloriam sibi non pro se vel pro sui indigentia, sed pro nobis sibi expetisse intelligendus est. Ipse enim bonorum nostrorum non indiget, sed nos, nisi eum in omnibus tanquam verum Deum glorificemus, salvi esse non possumus. De tali enim gloria et hoc rectissime intelligitur, quod idem filius loquitur ad patrem dicens: *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam.* Quod enim dixit *clarificavi* vel *glorificavi* (ex uno enim Graeco utrumque sumptum est, quod est *δόξασθαι*), tantum valet, quomodo si dixisset: Glorificandum demonstravi. De qua gloria illud dictum filii ad apostolos est: *In hoc glorificatus*††) *est pater meus, ut fructum plurimum afferatis et efficiamini mei discipuli.* Quamvis enim et prius *notus in Judaea Deus fuerit et in Israel magnum nomen ejus,* non tamen hoc ante incarnationem notum, exceptis solis prophetis, fuit, quod unici et naturalis filii pater esset, per quem paterno affectu in mundum misso sanguinis ejus precio mundum redimere haberet. Hoc autem per nostrae formae assumptionem notum factum est. Tamdiu enim Verbum Deus apud Deum fuit, tanta per ipsum a (182)
patre et cum patre sunt facta; et, dum Deum patrem vel filium novit mundus, sed per incarnationem filii et nobiscum in nostris conversationem pater est clarificatus, quamvis, ut dictum est, prius in Judaea notus fuerit Deus. Itaque filio, patrem clarificasse

†) qua (?). — ††) ms. t. *clorificatus.*

super terram, non aliud est, quam glorificandum hominibus nomen paternum demonstrasse. Unde, et quidem consequenter, loquitur filius: *Et nunc clarifica me tu, pater, apud temetipsum claritate, qua prius fui apud te.* Quorum est ordo verborum: Clarifica me claritate, quam habui apud te, priusquam mundus fieret.

Haec, inquam, oratio de eadem etiam claritate recte intelligitur, qua glorificandus ut verus Deus et unicus Dei filius ab hominibus agnoscatur; quod aliter fieri non posset, nisi, quemadmodum Deus in forma nostra *super terram visus est et cum hominibus conversatus est,* ita homo per resurrectionem⁈morte absorpta, per ascensionis quoque honorem sublimatus, in Dei forma et virtute inesse inciperet, idque ita esse mundus palam agnosceret. Unde apostolus: *Deus,* inquit, *suscitavit Jesum a mortuis et dedit illi gloriam, ut fides nostra et spes esset in Deo.* Quod enim ait *et dedit illi gloriam,* non aliam licet intelligi, quam quae Dei singularis et propria gloria est. Unde et sequitur, ut fides nostra et spes nostra, videlicet in Christum, non jam in ipsum tanquam in hominem, sed ut vere in verum Deum esset, utpote in omnem divinitatis gloriam sublimatum. De qua gloria Hilarius, magnum ecclesiae luminare, quid sentiat, audiamus. In libro enim nono pertractans haec verba Domini: *Nunc honorificatus est filius hominis, et Deus glorificatus est in eo: Si Deus honorificatus est in eo, et Deus honorificabit eum in esse. Et protinus Deus honorificabit eum!* inter caetera sic ait: Primum quidem dicti Domini significationem non ambiguam aestimo, cum ait: *Nunc honorificatus est filius hominis.* Gloria enim omnis non Verbo acquirebatur, sed carni, id est non naturae Dei, sed nati hominis dispensationi. Hoc vero, quod sequitur, quid significet, interrogo:
(183) *Et Deus honorificatus est in eo.* Honorificatum enim in eo Deum audio; et quid istud sit, secundum intelligentiam tuam, haeretice, ignoro. Deus in eo honorificatus est, in filio utique hominis: et quaero, an filius hominis idem sit et filius Dei. Et cum non aliud sit filius hominis neque aliud filius Dei — *Verbum enim caro factum est* —; et cum, qui filius Dei, ipse et hominis sit filius: requiro, quis in hoc filio hominis, qui et filius Dei est, glorificatus sit Deus. Et quia in filio hominis, qui et filius Dei est, glorificatus est Deus, videamus, quid sit hoc, quod tertio subditur: *Si Deus glorificatus est in eo, et Deus glorificavit (?) eum in sese.* In filio hominis gloria Dei est, et gloria Dei gloria filii hominis. Deus

glorificat in sese; homo utique non per se glorificatur. Neque rursum qui in homine glorificatur Deus, licet gloriam accipiat, non tamen aliud ipse quam Deus est. At vero, glorificato filio hominis cum glorificans Deum Deus glorificat in sese, invenio naturam glorificati in gloriam naturae naturam glorificantis assumi. Non enim se Deus glorificat, sed glorificatur in homine, Deum glorificans in sese. Quid autem glorificat in sese? Licet non se glorificet, tamen in naturae suae gloriam naturam glorificati assumit. Et cum glorificans Deum, Deus, qui glorificatus in homine sit, glorificat in sese, eum quem glorificavit deum, in se inesse demonstrat, cum eum glorificat in sese. — Et post aliqua: De eo vero quod glorificatum in filio hominis Deum Deus glorificat in sese, in quo tandem tibi relictam facultatem exerendae†) impietatis existimas, ne secundum veritatem verus Deus Christus sit? Christum enim Deus natum hominem clarificat in sese. Reddidit in se Christo gloriam, quam apud se habuit, et, cum in formam Dei assumptio formae servilis assumitur, in se glorificatur glorificatus in homine Deus, qui ante nativitatis dispensationem in sese erat, et per formam sui††) et per naturam nativitatis unitus *(c. 40. 41)*. Idem in eodem: Id enim homini acquirebatur, ut Deus esset. Sed manere in Dei unitate assumptus nullo modo poterat, nisi per unitatem Dei in unitatem Dei naturalis evaderet, ut per hoc, quod in natura erat Deus Verbum, Verbum quoque caro factum rursum in natura
Dei inesset, atque ita homo Jesus Christus maneret in gloria Dei (184)
patris, si in gloria Verbi caro esset unita: rediretque tunc in naturae paternae et secundum hominem unitatem Verbum caro factum, cum gloriam Verbi caro assumpta tenuisset. Reddenda igitur apud semetipsum patri erat unitas sua, ut nativitas naturae suae in se rursum glorificandae resideret, quia dispensati†††) novitas offensionem unitatis intulerat; et unitas ut perfecta antea fuerat, nulla esse nunc poterat, nisi glorificata apud se fuisset carnis assumptio *(c. 38)*. Et subinde: *Et nunc glorifica me tu, pater, apud temet ipsum:* Quid enim causae est, ut eum pater glorificet apud semet ipsum? aut quae verbi hujus significatio est? quive significationis effectus est? Pater namque non eget gloriae††††) nec se exinanierat de forma gloriae suae. Quomodo ergo apud semet ipsum glorificaturus est filium, et ea gloria, quam habuit apud eum ante mundi constitutionem? Sed *apud eum habere* qui sensus est?

†) l. *exserendae*. — ††) l. *servi*. — †††) dispensationis (?). — ††††) ita t. ms.

Non enim ait: Gloriam, quam habebam, antequam saeculum esset, cum essem apud te; sed: *gloriam, quam habebam apud te. Esse* enim *apud te* consistentem significat, *habere* autem *apud te* naturae sacramentum docet; *glorifica* vero *apud te* non idem est quod *glorifica me.* Non enim semet ipsum glorificari tantum ita, ut sibi sit aliquid proprium gloriae, rogat, sed apud semetipsum patrem se glorificari ab eo precatur. Ut enim in unitate sua maneret, ut manserat, glorificaturus eum apud se pater erat, quia gloriae suae unitatem per obedientiam excesserat, scilicet ut in ea gloria rursus esset, in qua sacramento erat divinae nativitatis unitus essetque patri apud semet ipsum glorificatus: ut, quod apud eum ante habebat, maneret neque abalienaret ab eo formae Dei naturam formae servilis assumptio, sed apud semetipsum glorificaret formam servi maneretque in Dei forma: quia qui in Dei forma manserat, idem erat in servi forma. Et cum servi forma glorificanda esset in Dei forma, apud eum ipsum glorificanda erat, in cujus forma
(185) formae servilis habitus erat honorandus. Non nova vero haec neque nunc primum evangelicis doctrinis consignata vox Domini est: et hoc ipsum glorificandi filii apud semet ipsum Dei patris sacramentum pulcherrima illa spei suae gratulatione testatus est tunc, cum in Juda ad proditionem exeunte†) consummandae suae dispensationis elatus hoc dixit: *Nunc honorificatus est filius hominis, et Deus honorificatus est in eo. Si Deus honorificatus est in eo, et Deus honorificabit eum in sese, et Deus protinus honorificavit*††) *eum (c. 39. 40).* Item: Nativitas enim non novae neque alienae naturae Deum fecerat, sed naturalis filius patri naturali generatione substiterat. Et cum post nativitatem hominis glorificatur in homine, in naturae suae gloriam rursum in se clarescit, cum Deus clarificat, cum in paternae naturae gloriam, ab ea per dispensationem evacuatus, assumitur. Concludit autem audacissimum furorem impietatis tuae fides apostolica, ne qua licentia liberae intelligentiae evageris, cum ait: *Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei patris.* Quem enim pater in sese glorificavit, in ejus confitendus est; et qui in patris gloria confitendus est, quem in se pater glorificavit, in his sine dubio intelligendus est esse, quibus pater est, cum et in se eum glorificaverit, et in gloria ejus sit confitendus. Non enim tantummodo in gloria Dei patris est. Neque glorificavit gloria exteriore, sed glorifi-

†) deest vox *gaudio.* — ††) l. *honorificabit.* — †††) deest vox *gloria.*

cavit gloria in sese. In eam eum, quae sua est, gloria†) resumendo, et ea gloria, quam apud eum habuit, eum et apud se glorificat et in sese. Atque ita inseparabilis a fidei hujus conjunctione intelligitur, etiam sub hominis humilitate sic dicens: *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti Jesum Christum*: cum sine Christo, solo Deo patre cognito, vita aeterna non sit, et Christus glorificatus in patre sit. Si autem ea (186)
demum vita aeterna est, solum verum Deum nosse et quem misit Jesum: non existimetur plane Deus verus Christus, si vita sit, in Deum credidisse sine Christo. Non gloria Christi omnis in solo vero Deo patre est. Si enim eum in se glorificat pater, et solus Deus pater verus Deus est, non extra solum verum Deum Christus est, quia glorificatum in Deum Christum glorificet pater verus Deus solus in sese. Et qui a solo vero Deo glorificatur in sese, non alienatur a solo vero; quia in se solo glorificatur a vero *(c. 41. 42)*.

Qualibus hic pater illustrissimus uti verbis potuisset accomodatioribus ad causam, evidentioribus ad intelligentiam, quibus gloriam cui vel quam acquisitam praedicasset? Omnis enim, inquit, gloria non Verbo acquirebatur, sed carni, id est non nativitati Dei, sed nati hominis dispensationi. Quae vero aut qualis quantave gloria homini vel carni sit acquisita, dicere non est, siquidem divinitatis gloria non similitudine aliqua demonstratur, non opinione comprehenditur, non circumscriptione tenetur, non intelligentia attingitur, non numero metitur, non terminis clauditur, sed omnes modos, mensuras et terminos supergreditur. Haec autem divinitatis gloria, id est divinitas super omnia in se gloriosa et super omnia ab omnibus glorificanda, hominis illius propria gloria facta et declarata est. Et facta quidem est in ejus divina ex spiritu sancto et virgine Maria conceptione et nativitate. Declarata est autem primo paternae vocis testificatione, deinde operum divinorum attestatione, angelorum quoque adstipulatione, ac super omnia gloria haec in hominem demonstrata est resurrectionis et ascensionis glorificatione sanctique spiritus de paterna sede in apostolos plebemque credentium emissione: quem utique Deum a Deo nisi Deus mediator ac medius trinitatis mittere quispiam alius non potuisset. Unde recte Deo sapiens Hilarius eidem homini gloriam non quamlibet mediocrem, sed summam divinitatis vendicat gloriam, idque non ex proprio sensu, sed ex scripturarum auctoritate argumentosa

---

†) l. *gloriam*.

eloquentia defendit, dum apud semet ipsum patrem et in sese Deo formam servi dicit honorificatam; in cujus forma formae servilis
(187) habitus fuerit honorandus. — Sed dicit quis: Intellectus non capit, ratio non adquiescit, ut forma servi in Dei forma possit glorificari. Quaero autem, quid Dei formam dicat nisi divinitatem, aut, quid divinitatem nisi omnipotentiam substantivam, aeternitatem impermutabilem, sapientiam a fine ad finem interminabiliter attingentem, omnia quiete disponentem, bonitatem substantivam, cui nihil accedere, nihil decedere possit, eo quod summe et essentialiter bona, imo et ipsa bonitas sit. Sed cum divinitas homini substantive collata sit, quae in omnibus jam dictis bonis est, cujusque eadem bona propria et essentialia sunt, mirum potius videri posset, si a forma et gloria divinitatis diceretur extraneus. Nam qualiter a gloria divinitatis extorris esse posset humana in Christo natura, cujus ipsa divinitas in jam dictis bonis est gloria? Aut igitur aufer homini, esse Deum verum, aut ei solius veri Dei gloriam in solius veri Dei bonis concedas necesse est. Mirum autem, quomodo hominem assumptum Deum verum asserant, qui ei divinitatis substantialia detrahunt, id est omnipotentiam, sapientiam divinitatis propriam et bonitatem. Imo vero et voce aperta eum Deum diffitentur dicentes, nihil assumptum esse Deum; idque adstruunt eo quod, ut aiunt, nec anima nec caro a Verbo assumpta Deus sit. Sed hoc est contra patrum doctrinas, trispartire Christum; et de partibus Christi contra ecclesiasticam disciplinam disputare, hoc solvere est Christum. At nos non de carne seorsum vel de anima separatim quidquam horum quae Dei propria sunt affirmare, minus vero negare praesumimus. Jungentes vero in unum perfectum hominem hoc unum, illud videlicet rationale animal, nos et assumptum in Deum et propter assumptionem verum Deum praedicamus, hac tamen differentia servata, ut assumptum nominaliter, et non participialiter dicatur. Non enim ante assumptionem unum ex duobus fuit, ut unum assumi possit, sed simul a Verbo assumpta sibique invicem unita haec duo in unum perfectum sibi†) hominem. Unde nominaliter nunc post assumptionem hoc ex duobus unum effectum assumptum dicimus, sicut doctum vel eruditum non semper participialiter, sed saepe ac multo frequentius nominaliter dicere solemus. Dicimus, inquam, hoc ex duobus unum assumptum, sicut hominem quoque quemlibet dicimus creatum, qui tamen, dum crearetur,
(188) homo non fuit; sicut hoc unum, de quo loquimur, dum assumeretur,

†) sunt (?).

unum nondum fuit: Deum†) sicut†) haec unum, sicut hoc unum, de quo loquimur, dum assumeretur, unum nondum fuit, nunc autem et unum et assumptum in Deum est, ac propterea Deus; et quia Deus, ideo et in gloria Dei et omnimoda glorificatum. Et fuit quidem et coepit esse in eadem gloria, quantum ad se, ex quo ex duabus essentiis, id est anima et carne humana, unum esse coepit. Aucta vero est ei gloria, maxime illa, qua cognoscitur et glorificatur verus Deus a nobis hominibus, ex quo in caelos videntibus apostolis assumptus est in gloria. Nam *parvulus quidem natus est nobis et filius datus est nobis;* sed idem parvulus patris et angelorum judicio gloriosus erat Deus. Unde et pater testificatur de illo dicens: *Filius meus es tu,* et: *Hic est filius meus dilectus!* angeli quoque ministrabant ei tanquam Deo suo et Domino; pro fescenninis *Gloria in excelsis Deo* canebant. Ipse etiam, divinae sibi virtutis et generis in se divini conscius, testimonium perhibet de se, quia filius Dei sit unicus, dum Deum patrem omnium patrem suum unice nuncupare consuetum habet. *Pater,* inquit, *meus quod dedit mihi, majus omnibus est.* Paternae quoque in se virtutis conscius: *Pater,* inquit, *meus usque modo operatur, et ego operor. Et nemo,* inquit, *potest rapere de manu mea, sicut nemo potest rapere de manu patris mei.* Itaque etiam tunc, tempore videlicet corporeae dispensationis, parvulus quidem erat specie, sed non parvus virtute; parvulus aetate, sed immensus aeternitate; exiguus corpore seu corporis atque humanae mentis voluntaria infirmitate, sed sublimis majestate atque inaestimabilis ipsius infirmitatis atque humanarum passionum virtute, utpote cujus morte mors et infernus triumphata sunt, mortui revixerunt, paradisus ac caeli ingressus reserata sunt.

Sic vero et granum sinapis quantitate corporea parvum est, sed virtute magnum; sic et cujusque arboris granum specie quidem exiguum est, sed in ejus parvitate futurae ex eo arboris proceritas et latitudo tota abscondita est. Similiter et Dominus Jesus, quanto tempore dispensatorie parvulus haeres erat, parum aut nihil a servo humilitatis specie differebat, cum tamen dominus esset omnium; sed sub tutoribus et actoribus erat usque ad praefinitum tempus a patre, usque dum consummata obedientia gloria resurrectionis et honore ascensionis coronandus esset a patre. Ex tunc vero (189)

---

†) totum hoc enuntiatum usque ad verba *nondum fuit* obscurum, haud dubie corruptum est.

temporalitate in aeternitatem commutata et infirmitate in virtutem atque contumelia transeunte in gloriam, in omnem paternae celsitudinis claritatem humana in Christo natura profecit, non quidem a se deficiens, sed, ut dictum est, in divinae sublimitatis habitum et usum ex humanae infirmitatis habitu et usu proficiens. Unde Hilarius ait formam servi in Dei forma glorificatam. Dicis autem: Quomodo potuit hoc fieri, ut infirmitas in virtutem, forma servi in Dei formae gloriam proficeret? Sed et ego versa vice quaero a te, quomodo fieri potuerit, ut Deus semet ipsum exinaniens humanae exiguitatis se membris includeret et *formam servi accipiens habitu inventus ut homo* sit.

Quodsi dixeris, id mirabiliter et supra naturae usum factum nec rationem quaerendam in miraculis, quibus fides nostra secundum scripturas fundata est: crede quoque nostrae naturae in divinam sublimationem mirabiliter et supra naturam factam, nec ratione investigandum putes, quod scripturarum auctoritate credendum est. Dicis autem, quae scripturae id loquantur, quibus credendum sit. Audi ergo Psalmigraphum sub typo solis Christi humanationem simul et exaltationem canentem: *A summo caelo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus.* Igitur unde egressio, eodem, ad idem videlicet summum caelum, ad paternae majestatis consessum, et regressio facta est; et qualis egressio, talis etiam versa vice regressio aestimanda est. Sed egredi Dei ad nos non aliud quam humanari†) fuit. Non enim summum caelum vel patris sinum deseruit veniens ad nos, sed nostra suscepisse hoc ei descendisse fuit. Igitur et regressio ejus non aliud quam hominis assumpti in divinitatis gloriam sublimatio est. Si enim, ut dictum est, egredi Dei ad nos non aliud quam Deum humanari apud nos et in nostris fuit: igitur et regredi ejus ad patrem non erit*) aliud quam hominem assumptum deificari et apud semet ipsum patrem clarificari. Quod si et egressione Dei facta ad nos forma Dei nostrae formae assumptione assumpta non est, etiam nostri generis forma, in divinae formae gloriam evecta, non absumpta, sed assumpta solum credenda est. Audi etiam adhuc Psalmistam hominis Christi gloriam divinam prophetantem: *Dixit Dominus Domino meo. Sede a dextris meis!* quod est dicere: Conregna in potioribus bonis meis. Quae sunt autem potiora bona patris, nisi omni-
(190) potentia et caetera divinitatis propria? Quod si haec, tanquam

†) ms. t. *humari.* — *) ms. sit.

prophetica, paulo obscuriora videntur, audi filium orantem: *Clarifica me tu, pater, apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te!* quem exauditum *pro sua reverentia*, uti apostolus testatur, omnino dubitare non debes. Audi vero et patris promissum ad filium: *Et clarificavi et iterum clarificabo.* Clarificaverat enim eum jam pater vocis propriae attestatione, spiritus quoque sancti in eum declarata descensione ac mansione super eum, simul et miraculorum, qualia nemo alius fecit, operatione. Clarificaturus vero erat subsequenter formae servilis in divinae formae gloriam evectione et in spiritus sancti per ipsum ad nos emissione atque miraculorum spiritualium in nobis ad nostram aeternam salutem usque ad consummationem saeculi operatione. Audi vero et filii confessionem de se, qui certitudine jam instantis clarificationis suae divinissimae elatus ait: *Nunc honorificatus est filius hominis, et Deus honorificatus est in eo. Sed Deus honorificatus est in eo, et Deus honorificabit eum in sese, et Deus protinus honorificabit eum.* At haec verba, quoniam Hilarius de his sublimissime disseruit, nostra expositione non indigent. Simul et ne nostra eis expositio potius fulgorem detrahat, quam splendoris forte aliquid adjiciat, audi adhuc ipsum Dominum confitentem de se: *Si videritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius!* ascendentem, videlicet per humanitatem, ubi erat prius ab aeterno, videlicet per divinitatem; audi adhuc, ipse quippe resurgens a mortuis: *Data est,* inquit, *mihi omnis potestas in caelo et in terra;* audi vero et apostoli de ipsius gloria testimonium: *Propter quod* — videlicet quia semet ipsum exinanivit, formam servi accipiens, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis — *propterea,* inquit, *exaltavit illum Deus et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris.* Quid hac confessione sublimius aut quid expressius ad intelligentiam dici potuit, dum et meritum tantae exaltationis mortis ignominiosae obedientiam edicit, quae utique hominis propria est et post meritum consummatae obedientiae eidem praemium gloriae redditum non tacet gloriaeque excellentiam singularem nominis proprietate, quod est super omne nomen, exprimit? Ac ne nomen constituti vel nuncu- (191)
pati et non veri ac naturalis Dei quis existimet, nomini singulari singularem ac soli Deo debitam culturam subnectit, dum omne

genu, caelestium, terrestrium, et infernorum eidem nomini ejus flectendum dicit. Ac ne id in occulto et non in palam fiendum quis existimet, omnis linguae confessione celebrandum dicit, *quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris.*

Igitur plena testificatio et sublimis gloriae Christi confessio apostolica haec testificatio est, qua et meritum et merito redditum singularis gloriae praemium praemii quoque seu gloriae nomen, nominis etiam, quod super omne nomen est, culturam, culturae quoque solennem evidentiam comprehendit. Sane meritum et ex merito praemium†) colligere, potius humanae quam divinae in Christo naturae competit; siquidem Verbum a sua gloria non destitit, quae ei consummata obedientia redderetur. Nam gloria omnis, ut ait Hilarius, non Verbo acquirebatur, sed carni. Simul et alii patres homini propter passionem mortis datum esse hoc nomen asseverant, non Deo; quamvis quidam Ambrosius, cognomento Audbertus, ut superius memoravimus, Deo id datum adstruat, non homini. Et laborant nostri temporis scholastici, qualiter hoc dictum Ambrosii (magnum putantes Ambrosium) aliorum patrum dictis concilient, cum potius tanquam malum reprobandum, quam pia in eo interpretatio, quae inveniri non potest, quaerenda sit.

Dicit item apostolus, quomodo vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Quod quidem superius commemoravimus, ita dictum hoc apostolicum pensantes, quod, sicut tempore dispensationis corporalis Deus erat in Christo, atque in Christi infirmitate divina ipsius erat fortitudo abscondita, sicut scriptum est: *Ibi abscondita est fortitudo ejus!* quatenus Leviathan ille infirmitatis specie deceptus tanquam hamo in oculis suis caperetur, absconditae divinitatis aculeo transfixus: ita nunc versa vice corporalis Christi species in illo inaccessibilis lucis fulgore abscondita sit, virtute infirmitatem, aeternitatis stabilitate temporalitatis mutabilitatem, vita quoque mortalitatem absorbente. Et infirmitas quidem et temporalis mutabilitas atque mortalitas, quomodo accidentia hominis erant, superveniente virtute, aeternitate ac vita poterant in Christi corpore vel in nihilum redigi vel in suas naturales causas reverti, eo quod et pridem secundum physicas rationes proprie nihil fuerint. Etenim sicut caecitas in oculo nulla res subsistens est, sed tantum visus
(192) privatio, ita infirmitas et mortalitas rerum subsistentium, id est virtutis et vitae privationes tantum sunt, non autem in se ipsa

†) ms. t. pramium.

subsistunt Sed et temporalitas prope nihil aliud in nobis quam aeternitatis privatio est. Nec ad substantiam nostram hae pertinent, cum potius, recte consideratae, corruptiones substantiae nostrae inveniantur. Itaque in Christo superveniente vita, virtute, aeternitate in nihilum redigi potuerunt, prout ad physicas pertinent rationes; alias vero non in nihilum redacta sunt. Sed sicut nostra salutis causa a Domino assumpta sunt, ita ex eis ac per ea salutaria nobis sacramenta sunt condita. Unde ait Leo papa: Quod in Christo visibile fuit, in sacramenta transivit.

Haec namque linteamina et sudaria illa typica sunt, quae resurgens a mortuis Christus in monumento, in suae videlicet nobis praesentiae monumenta reliquit; hae vestes illae salutiferae, quarum attactus nostri fluorem sanguinis restinguit, quas et milites nostri, evangelii videlicet scriptores, in quatuor†) sibi partes divisere, maxima quatuor sacramenta dominica, videlicet nativitatem, passionem, resurrectionem et ascensionem ejus in caelos ecclesiae Christi summo studio veneranda tradentes cum reliquis ejus dictis et factis salutaribus.

Hic vero et tunica illa inconsutilis, desuper contexta, per totum relicta est, unitatem nobis ecclesiasticae pacis mysticans; si quidem Christus non solum in se indivisus est, sed et in nobis indivisus esse debet. Hae itaque vestes, haec salutifera sacramenta nobis in monumentum praesentiae Domini nostri relicta sunt, ipso a nobis in domum aeternitatis transeunte.

Hoc namque illud nostri Heliae pallium est, quod videlicet, ipso in caelum rapto, Helizeo††) remansit. In quo idem Heliseus, apostolorum videlicet chorus et imitatores eorum usque hodie in nomine Jesu virtutes operantur, sicut ille, invocato nomine Dei Heliae, percussit Jordanem — et divisus est. Insuper et duplicatus est in eo magistri spiritus, quemadmodum petierat, si quidem miracula, quae ille simpla, iste duplicia peregit. Etenim per Heliam octo, per Heliseum sedecim miraculorum insignia patrata sunt. Hoc autem et in apostolis completum est, juxta promissum magistri dicentis: *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quae ego facio, ipse faciet, et majora horum faciet.* Plus enim est per umbram, quam per fimbriam sanitates peregisse. Plus est, hominem XL dies in monumento habentem suscitatum esse per

†) ms. bis t. *in quatuor;* fort. leg. *scriptores quatuor, in quatuor etc.*
††) *l. Heliseo;* v. infra.

Petrum, quam quatridianum per Dominum. Plus est item, quantum ad speciem vel quantitatem factorum, discipulos variis linguis do-
3) cendo innumeras ad Dominum gentes convertisse, quam Dominum in una solum gente unius linguae sermone aliquot discipulos collegisse. Sed ipse sine illis, quod voluit, fecit, ipsi vero sine illo facere nihil potuerunt; quod et subsequenter loquitur: *Quia ego,* inquiens, *ad patrem vado; et quodcunque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam.* Igitur et ipse in illis illa majora operatus est, non ipsi sine illo. Unde et alias: *Sine me,* inquit, *nihil potestis facere.* Etenim ad majestatem et virtutem operandi nulla inter ipsos et Dominum comparatio. Nam ipse tacito nutu et virtute imperii in caelo et in terra atque in mari, maxime vero in curationibus hominum omnia quaecunque voluit fecit; ipsi vero petendo solum patrem in nomine ejus, ipso mediante et cooperante, quae petiere, consecuti sunt.

Neque vero linteamina haec seu vestimenta nobis praesentia sua spiritali vacua reliquit, sed in sacramento altaris veritatem sui corporis et sanguinis nobis in cibum praestat et potum salutis aeternae, nimirum corpore suo jam spiritali in illa sacramentali specie essentialiter abscondito. Hoc autem et ipse ascensurus ad patrem suis promisit dicens: *Ecce ego,* inquit, *vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Hoc enim, si de divinitatis ejus praecentia solum credi deberet, non etiam corporis sui praesentiam et veritatem in tam multis simul locis ecclesiae sacrificanti et communicanti exhiberet. Itaque totus ipse in patre et apud patrem, totus et apud nos. Ita enim lapis ille, juxta visionem Danielis quondam parvus, per resurrectionem et ascensionem in montem magnum excrevit, ut totum orbem implens patrem simul contingat et nos. In quo autem lapis iste crevit aut crescere potuit, nisi in quo parvus fuit? Etenim in divinitate sua sicut nunquam parvus fuit, ita in ea, quo cresceret, non habuit. In nostris ergo usque ad divinae celsitudinis similitudinem crevit, in quibus solum crescere habuit. In nostris autem ipse non crevisset, nisi, homo verus factus per nativitatis naturam, nostra sua ac sua nostra fecisset. Sic lapis ille ab aedificantibus reprobatus in caput anguli factus est, ut caelestia terrenis ac terrena caelestibus conjungat. *A Domino namque factum est illud, et est mirabile in oculis nostris.*

Sic granum illud sinapis, quod minus erat omnibus seminibus, Dominus videlicet Jesus, humilior omnibus humilibus, de quo

propheta: *Vidimus,* inquit, *eum non habentem speciem neque decorem!* granum, inquam, illud in horto seminatum ac sepultum crevit et factum est arbor sublimis et expansa ramis, ita ut volucres quoque caeli, sancti videlicet angeli, veniant et habitent in ramis ejus. Quomodo autem prius arbor haec in grano, Deus in homine, virtus in infirmitate erat abscondita, sic nunc versa vice granum illud in arbore, homo in Deo absconditus est. Hujus autem mutuae in alterutrum absconsionis et imaginis ex arboribus materialibus quaedam similitudo est. Etenim physica ratio simul et rerum docet effectus, arborem futuram in grano, versa quoque vice, grani essentiam in arbore succrescente abscondi. Non enim grani essentia, arbore ex ea succrescente, in nihilum deficit, sed in arborem proficit, essentia quidem grani permanente, sed qualitatibus immutatis, per quas ipsum granum se ipso majus et efficitur et in arborem consurgit. Quod si haec in grano solis calor poros aperiens vitalemque grani calorem sibi, utpote cognatum, attrahens et humor accedens efficere possunt: quanto magis divinitator calor et vigor id, quod suae naturae suaeque imaginis erat, in Christo sibi attrahens et sancti spiritus irriguum accedens id effecerunt, ut nostrae naturae exiguitas per unitam sibi naturaliter divinitatem Verbi in divinae sublimitatis arborem excresceret, essentia quidem naturae nostrae nunc in Deo per Dei formam abscondita, sicut pridem divinitas Verbi in carnis humilitate et infirmitate abscondita latuerat. Et quidem naturam nostram, et quae naturae nostrae substantialia et propria in Christo sunt, hic dixerim in Deo per Dei formam abscondita, non etiam nostrae corruptionem naturae, non infirmitatem, non temporalitatem, non mortem. Quod enim absconditur, non quidem agitur, ut non sit, sed, ne videri possit, cum sit. At haec transierunt, et jam in Christo non sunt. Quo autem haec transierunt nisi, ut dictum est, vel in sacramenta nostrae saluti necessaria vel in suas primordiales causas? Quae autem laboris, infirmitatis ac mortis Christi originalis causa fuit nisi suasor diabolus, qui nobis duplicem mortem ac pro nobis liberandis Christo simplae mortis causam induxit? Igitur mors Christi ac labor temporalis dupliciter in suas primordiales causas transiit, dum et nobis, propter quos salvandos eadem mors ac labor suscepta, sacramenta salutaria per ea condita sunt, et in mortis ac laboris ejusdem auctorem diabolum eadem mors ac labor aeternaliter desaevit.

Quia enim ipse aeternum, nihil morti ac labori debentem, quantum in ipso fuit, laborare coegit, ipse aeterno labori ac morti

infinibili addictus est. Etenim mors Christi ac labor temporalis, quia in ipso causam non habuerant, inania esse non potuerunt nec
5) debuerunt, sed in suas causas transeuntia, diabolo et suis damnationem, laborem ac mortem, nobis vero, Christo cohaerentibus et salutaribus sacramentis pie communicantibus, requiem aeternam et vitam pepererunt. Igitur, ut dixi, mortalitas et temporalitas Christi cum ipso in Deo abscondita non sunt, imo vero in ipso jam penitus non sunt. Sed nec alia hujus vitae accidentia in Christo jam sunt, quin potius omnes hae vestes ac vitae hujus linteamina Christo resurgente et in caelos ascendente nobis in monumentum ejus praesentiae relicta sunt, quibus in sacramenta transeuntibus nostra nuditas operta ac decenter ornata ejus adspectu et praesentia digna inveniri possit.

At vero substantia nostra, id est corpus et anima, ac potius unum ex his duobus, videntibus apostolis in caelum assumptum, nunc in Deo absconditum est divinitatis gloria; idem divinitate sua, quae ejus est gloria, coopertum, ita ut, assumpti et assumentis unam substantivam esse gloriam, nunc palam omnibus factum sit. Sicut enim sapientia Christi animae assumente se sapientia minor non est, eo quod assumens eam sapientiam ejus sapientia naturaliter facta sit, ita gloria assumpti assumentis se divinitatis gloria seu claritate minor non est, eo quod assumens divinitas naturaliter assumpti claritudo facta sit idque jam per ascensionem Christi palam sit angelis et hominibus effectum, sicut scriptum est: *Inimicos ejus induam confusione, super ipsum autem efflorebit santificatio mea!* item: *Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem et praecinxit se virtute.* Ipse quoque confitetur patri dicens: *Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me laetitia, ut cantet tibi gloria mea!* ut sit laus tua gloria mea. Haec autem gloria, id est divinitatis omnipotentia, tempore infantiae ac dispensationis corporalis praesentiae in nostri habitus humilitate erat abscondita, nunc autem versa vice, ipsa in se humilitatis nostrae habitum abscondit, et ei naturalis decor gloriae facta*) est, ut jam non minor glorificatae in sese Deo naturae nostrae in Christo gloria glorificantis se naturae gloria sit. Unde Hilarius: Invenio, inquit, naturam glorificatam in gloriam naturae naturam glorificantis assumi. — Sicut enim quisque tam sapiens est, quanta ejus est sapientia; tam fortis, quanta ejus

*) sic ms.

fortitudo; tam bonus, quanta ejus est bonitas: ita et quisque tam clarus est, quanta ejus claritudo est. Sed hominis in Deum assumpti fortitudo, sapientia, bonitas, potentia et omne perfectum bonum, atque his bonis ejus consummata claritudo sive gloria aeterna et immensa divinitas est. Itaque et ipse his ipsis bonis immense et aeternaliter clarus est. Et non id quidem mirum est, siquidem et spiritus eum clarificaturus ei sine mensura datus est. Sed quia omnia tempora tempus habent, et tempus omni rei, quae sub caelo est, et Dominus Jesus, quamvis caeli conditor ac dominus, etiam ipse sub caelo factus est: ipsius quoque humilitatis ac minorationis tempus ab ejus claritudinis et gloriae tempore segregatum esse debuit. Etenim si ad†) claritudinem ejus immensam primo principes cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent. Itaque necessarie, id est causa nostrae operandae salutis, ejus omnipotentiae claritudo in hominis infirmitate ad tempus abscondi debuit, donec, nostrae salutis consummato opere, suo tempore panderetur ipsa, in se similiter absconsura ab humanis oculis, insuper et ab humana intelligentia, quamdiu in terra vivimus, illum hominem, sicut ipsa ad tempus abscondita latebat in homine. Quis enim intellectus capiat, qualiter aliquid materiale in illa inaccessibili et immateriali divinitatis luce subsistat; qualiter aliquid compositum in medio simplicis trinitatis maneat et unus ex tribus sit; qualiter humanum corpus clauso sepulcro egredi aut clausis januis ad discipulos intrare potuerit? Quis intellectus comprehendat, qualiter unum et verum humanum corpus sit, quod simul indivisum in mille ab invicem locis distantibus est? Haec enim divinitatis propria sunt, in mille simul et eo amplius locis distantibus unum atque indivisum esse, lucem inaccessibisem habitare, omnia posse et nosse. At in his divinae claritatis propriis homo assumptus nunc absconditus est, ut, nisi a valde fidelibus, et verus et perfectus homo subsistere et veraciter atque aequali essendi modo cum patre in his quae Dei solius bona sunt esse vix credi valeat. Nam si, a patribus nostris, ut aiunt, loquente Deo Moysi probatum est, quod loquente Deo cum homine vixerit homo, ipseque ait Dominus: *Non enim videbit me homo et vivet:* quanto magis mirabile est in oculis nostris dies illa, quam fecit Dominus, in qua cuncti fideles exultamus et laetamur, lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, hic factum esse in caput anguli; unum ex nobis medium esse

---

†) haec praep. videtur omittenda esse.

summae trinitatis, angelos in caelo sua desiderabili visione reficere et nobis atque universae ecclesiae suae in terris non deesse, corporalem quoque suam praesentiam in qualibet sibi competenti specie posse simul in tam multis et tam ab invicem distantibus locis exhibere. In his ergo divinitatis splendoribus nunc Christus homo absconditus est, et cum ipso vita nostra in Deo abscondita est.
7) *Cum autem Christus apparuerit vita nostra,* cum visibilis nobis in tertio illo divinitatis suae caelo, cum palpabilis nobis in illa corporis sui spiritali ac caelesti paradiso extiterit, cum omnium fidelium congregationi spiritalibus sensibus videndus ac palpandus apparuerit nosque visione sua laetificaverit: tunc et nos cum illo apparebimus in gloria, non aequati majestati, sed sociati aeternitati ejusque visione beati, videntes et cognoscentes eum, sicuti est. Ipse enim se nobis non dedignabitur requiem praestare in patria, qui se nobis in hac peregrinatione viam et vehiculum infirmis et lumen caecis praestare dignatus est, quemadmodum ait: *Ego sum via, veritas et vita.*

Ipse namque per humilitatis, charitatis et patientiae suae exempla via nobis factus est; ipse ducem se nobis ac lucem caecis exhibuit, doctrinae suae radiis spiritusque sancti illuminationibus semet ipsum nobis veritatem et januam ad regnum pandens; ipse suimetipsius patrisque ostensione plena vita nobis aeternitatis erit in patria. Neque enim nobis speranda est illic terra materialis, lacte et melle materiali opulenta, et aurea civitas Hierusalem templumque in ea auro radians, sed unanimis coetus sanctorum angelorum et hominum divinitatis cognitione splendens nostra illic erit civitas, sancta Hierusalem, templumque in ea Dominus Deus erit et agnus, quemadmodum theologo nostro Joanni in sua Apocalypsi praedictum ac praemonstratum est.

Nec timendum nobis est, quod, quia agnus est illic templum, minus sufficiat ad capiendos omnes nos. Spiritalibus enim post resurrectionem effectis spiritalis magis amplitudo quam corporalis necessaria est. At agnus patientiae suae meritis in magnam celsitudinem, amplitudinem, longitudinem simul et profundum spiritalibus dimensionibus excrevit, ita ut paternae immensitatis dimensiones exaequet. Quid est namque altum Dei nisi majestatis sublimitas? quid longum ejus nisi aeternitas et longanimitatis ac patientiae aequanimitas? quid latum Dei nisi omnia complectens charitas? quid profundum ejus nisi sapientiae inpenetrabile secretum, judiciorum arcanum? At agni majestas paterna majestate inferior non

est, ipso confitente, quoniam omnia tradita sunt ei a patre suo. Unde Ambrosius: Si omnia dedit, aeternitatem majestatemque transfudit: et nos in homine Christo aeternitatem aeternitem†) non more interminabile, sed divinum jam immutabile et incorruptibile praedicamus, quanquam tamen et secundum unitatem personalem hominis cum Verbo etiam homo sit interminabilis aeternitatis. Quod enim in ipso apud nos in tempore factum est, in aeternitate Verbi vita erat. Quid autem patientia Christi longanimius, qui (195)
patris mandatum et veritatis confessionem indeclinabiliter usque ad mortem tenuit? — Et hoc de templo hujus, quod est agnus, alto et longo dictum sit. Nunc vero latitudinis atque profundi immensurabile videamus. Quid namque charitate Christi, etiam secundum id quod homo est, diffusius et latius, qui nos etiam, cum inimici essemus, in tantum dilexit, ut pro nobis mortem subire asperam et ignominiosam non dubitaret? *Majorem autem,* ait ipse, *dilectionem nemo habet,* et certe nec Deus nec homo, *quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis:* quanto magis vero pro inimicis. Ubi autem Deus pro amicis et inimicis moritur et eis morte sua aeternae vitae aditum pandit: nunquid charitas illa et qualitate sui et fructu immensae amplitudinis non est? Tanta igitur, imo tam immensa templi hujus, quod est agnus, latitudo est. Quid vero de profundo ejus dicemus? Nunquid enim non idem ipse agnus sicut Dei virtus ita et sapientia Dei est. Quid vero sapientia Dei secretius et impenetrabilius, in qua et judiciorum ejus inscrutabile arcanum includitur? Aut nunquid non omne judicium dedit pater filio, qui filius hominis est et in eo quod filius hominis est? Ad. hoc enim natus homo in terris butyrum et mel comedit, ut sciret reprobare malum et eligere bonum; ad hoc homo cum hominibus conversatus est, ut experimentum nostrae benignitatis vel malitiae capiens justam in nos et experimentis eruditam reprobandi nos vel assumendi potestatem haberet, quemadmodum is, qui mel comedit, humana industria ceram secernit, et is, qui butyrum comedit, casei tenacitatem et seri aquositatem a lactis pinguedine discrevit. Sicuti enim casei vel cerae tenacitas indigeriem stomacho comesta inducunt, aquositas etiam lactis, quam serum dicimus, vires comedenti non tribuit, sed inflationem facit, ac proinde comedentibus molesta sunt: ita et illud genus hominum, quorum cor sicut lac coagulatum est aut quos fluxa vitiorum mollities enervat, Deo

†) ita t. ms.

molestum est. Unde et quendam ejusmodi reprobavit, dicens: *Vulpes foveas habent et volucres caeli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Hoc igitur templi sui, quod est agnus, profundum est, judicii videlicet faciendi scientiam ac potestatem habere. Quid itaque templum hoc, quod est agnus, divino, alto, profundo, lato et longo minus habet? Igitur idem agnus jam templum omnes nos capere intra sui sinus amplitudinem sufficiens est.

Nec vero ita dividimus aut dividere debemus, ut humanitatem Christi in fundamento, divinitatem vero in culminis fastigium constituamus, sed totus Christus fundamentum, totus et in supremo anguli capite angularis lapis est. *Fundamentum enim aliud nemo*
(199) *potest ponere praeter id quod positum est, Christus Jesus. Et hic idem lapis, quem reprobaverunt aedificantes, factus est in caput anguli.* Sed nec id sentimus nec sentire debemus, quod Deus et agnus duo templa sint, sed Deus, tota videlicet trinitas, in cujus numero et aequalitatis consortio agnus est, ipsa nobis illic in civitate superna templum inhabitationis futura est. Ipsa enim sola creaturae rationalis vera requies et nunc est et aeternum futura est. Ostendet enim se ipsum nobis, et ad omnia sufficiet nobis. *Erit namque Deus omnia in omnibus.* Erit omnia, quae saluti et beatitudini nostrae conducunt quaeque honeste ac pie desiderari possunt. Et hoc in omnibus nobis. Ipse fessis requies; ipse nos circumdat et protegit; ipse continet, sustentat et fovet; ipse cibus, ipse potus nobis futurus est; ipse lumen oculorum nostrorum et pax; ipse spiritus, quem attrahemus odores nobis paradisiacos importans; ipsa*) florida ac fructifera paradisus nostra; ipse, ut breviter dicam, omne bonum nostrum futurus est. Et nos quidem ore angusto et arida lingua de ipso bono quod Deus est, loquimur, sed quale quantumve bonum sit, scire nondum possumus. Nemo hoc bonum novit, nisi qui accipit. Sed et qui accipit, nondum plene novit. *Nemo enim novit filium nisi pater, et nemo novit patrem nisi filius, et cui voluerit filius revelare. Habitat* enim uterque *lucem inaccessibilem.* Quos *nullus vidit hominum nec videre potest.* Puto autem ipsam lucem habitationis eorum non esse aliud quam utriusque divinitatem. Pater enim in filio et filius in patre est; et in utroque spiritus amborum est. Et haec totius trinitatis essentia inaccessibilis lux est. Nemo enim vel angelus vel homo scire potest, quid sit Deus. Et in hac luce homo

*) sic ms.; et condonanda est auctori haec illius saeculi latinitas.

Christus nunc absconditus est, quemadmodum in Christo eadem lux aliquando erat abscondita.

Absconsionis alicujus, quae in luce fit, maxime vero illius, qua Dominus Jesus nunc in divinitatis suae luce absconditus est, miraculum illud in monte, coram discipulis tribus exhibitum, exemplum simul et praecurrens signum fuit. Sicut enim illic solari fulgore facies ejus humana erat abscondita et multo lumine cooperta, ne in eam discipuli possent intendere; et sicut arca illa Moysis typica figuram dominici gerens corporis, imo et totius assumpti hominis, ex praecepto Dei auro intus et foris cooperta est, ut, cum esset ex lignis Sethim, lignea tamen intuentium oculis non apparerent†), sed aurea: ita Dominus Jesus divinitatis suae aureo fulgore nunc totus coopertus est, ut, quasi ligneae in eo nostrae essentiae subsistere, humanae rationis oculo vix aut nullatenus queat deprehendi. Dum enim praesentialiter se suis in mille simul locis qualibet sibi competenti specie exhibet; dum spiritus est ante (200) faciem nostram Christus Dominus; dum cibus et potus animarum in vitam aeternam est, in quo spiritus est, qui vivificat, caro autem non prodest quidquam: quis in hac divinitatis aurea et solari luce humanae rationis oculos veram sublatere hominis essentiam deprehendat? Quodsi adhuc mortalem vitam agens in terris, dum mentium secreta reserat, mortuos suscitat, ventis ac daemonibus imperat, super mare siccis vestigiis graditur, divinitatis††) lux subrutilans Deum esse, qui homo videbatur, prodidit et hominem esse aliquando in ambiguitatem adduxit, ita ut videntes eum discipuli super mare ambulantem clamarent prae timore, putantes phantasma esse: quanto magis, nunc divinitatis virtute et gloria vestitus, vix aut nullatenus humana ratio capit, qualiter verus homo subsistere possit. Unde et discipuli, cum clausis ad eos januis introisset, conturbati sunt et conterriti, existimantes, se spiritum et non hominem videre. At ipse dum testificatur, se carnem et ossa habere; dum se videndum ac palpandum praebet; dum manducat coram eis: hominem se verum esse, quamvis divinae virtutis effectibus absconditum, declaravit, ut nos quoque de ipsius humana in veritate naturae vera substantia non dubitemus, quamvis eadem humanitas porro ab oculis tam rationis quam carnis nostrae abscondita sit, utpote scire non valentibus, homo ille assumptus ubi et qualiter sit, videlicet in materiali an intellectuali caelo, aëris vel aetheris

---

†) rectius leg. *appareret.* — ††) ms. t. *divitatis.*

contiguitate circumscriptus et inclusus, an non, more nostrorum in hac vita corporum, sanctis illius regni quotidiano usu visibilis an invisibilis. Quodsi visibilis, qualiter? videlicet mentis oculis solum, an mentis et corporis oculis jam spiritalibus factis? Nam quod oculis carnis nostrae invisibilis sit, nisi ipse apparere velit, hinc prorsus nulla dubitatio est; quod autem apparere et in vero humano corpore adesse possit, ubicunque voluerit, etiam hinc dubitari non sinimur. Sed de corpore ejus, humanam effigiem habente et membris humanis effigiato, ubi et qualiter sit, scire nobis concessum non est. Sed et locum ejus inquirere modumque essendi investigare, ego superfluum, imo et temerarium esse non dubito. Videntur enim mihi inquisitores ejusmodi, etiamsi pie id facere videantur, angelorum vocibus argui, qui apostolis intuentibus in caelum et quasi locum sibi ascensionis ejus notantibus adstiterunt dicentes: *Viri Galilaei, quid statis adspicientes in caelum? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in caelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in caelum.*

Quodsi opponitur mihi, quia B. Augustinus, scribens ad Dardanum, corpus ejus in uno tantum loco in caelo esse, firmaverit, itemque ipse super Joannem dixerit, quoniam corpus ejus in uno
(201) tantum loco in caelo esse potest, veritas autem ejus ubiquè est: fateor et ego, hoc B. Augustinum dixisse, sine praejudicio tamen corporis Christi, quod est ecclesia ubique terrarum diffusa. Unde ipse Dominus ad Saulum: *Quid me,* inquit, *persequeris?* sine praejudicio etiam praesentiae corporis Christi in altaris sacramento, quod ecclesia proferens quotidie in multis simul locis in veritate participat. Non, inquam, de his patrem Augustinum dixisse aut his praejudicasse arbitror, sed de assumpti in caelum corporis illa specie, quae apostolis post resurrectionem visa est quaeque videntibus ipsis ab oculis eorum in caelum sublata est. Hanc, ut aestimo, in uno tantum loco, in caelo esse, vel, quod temperantius dictum est, in uno caeli loco posse esse firmavit; nec tamen satis diffinivit, de quo caelo id sentiret, materiali videlicet an intellectivo. Nam si de illo caelo, quod caelum caeli dicitur, in quo justitia inhabitat, quod inaccessibilis illa lux est, pater hic sanctus sensit: ego hunc sensum sanum et sine offensione esse arbitror, eo quod spiritale jam factum dominicum corpus illi caelo aptum est, in quod et apostolus extra se factus credi potest raptus esse. Unde si adhuc viveret S. hic pater, et quaerere mihi ab eo liceret: sciscitari vellem, de quonam id caelo diceret. Quodsi, ut dictum

est, in caelo intellectuali, quod et patris locus est, illud sua aestimatione collocaret, bene; si vero in materiali, adhuc quaerendum mihi videtur, in quanam caeli regione illud esse potissimum credi deberet. Quod si in uno caeli cardinum constitueret, quaestio adhuc subesset, qualiter ibi subsisteret, an videlicet perpetuo sedens et judicans an et aliquando ad alias regni sui partes disponendas transiens. Quod autem fixus maneat perpetuo, id quidem incongruum. Nam quomodo non*) interim reliquae amplissimae caeli regiones ejus praesentia carebunt? Similiter et hunc sensum in Vigilantio B. Hieronymus etiam de sanctis irridet, quos dicit eum honesto carcere sub ara Dei clausisse. Quodsi ad alias regni sui partes transire putetur disponendas sicque illud impleri, quod scriptum est de virginibus, quoniam *sequuntur agnum, quocunque ierit,* quem sensum item Hieronymus irridet in Vigilantio — nimis enim et hic sensus animalis Deoque et spiritali ejus corpori incongruus, ut alia loca deserens ad alia motu corporali accedat, more videlicet nostrorum animalium corporum, quae accidentibus standi et transeundi, agendi, quomodo se habendi et ubi essendi obnoxia sunt, cum ejusmodi accidentibus liberum nunc illud corpus (202) esse credamus —: igitur non putaverim de materiali caelo B. Augustinum sensisse, quando ait, corpus illud dominicum in uno tantum caeli loco esse vel esse posse, aut certe ista de corporali caelo dicendo lac potum parvulis dedit, non escam. Quamdiu enim parvuli sumus, vix aliud quid etiam de caelestibus quam materialia cogitare et imaginari novimus aut possumus.

Verum quia ipse pater Augustinus non determinavit, de quo id caelo diceret, putetur eum parvulis de corporalis caeli uno aliquo celebri et solemni loco dicere; nam et in hoc fides non periclitatur. Spiritales autem de spiritali eum caelo sensisse arbitrentur, exercitatos habentes sensus ad discretionem corporalium et spiritalium. Quodsi in corporalis caeli insigni aliquo loco in fide nostra statuendus esset Dominus Jesus, ego ei nullum aptiorem locum quam ipsum solare corpus arbitrer, eo quod sol in ejus typo in scripturis accipi soleat; ut est illud: *In sole posuit tabernaculum suum et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo exultavit ut gigas ad currendam viam; a summo caelo egressio ejus et occursus ejus usque ad summum ejus; nec est quo se abscondat a calore ejus!* item illud apud Salomonem: *Occidit sol et occidit,*

---

*) haec particula in ms. desiderabatur.

et ad locum suum revertitur, ibique renascens girat per meridiem, et flectitur ad aquilonem lustrans universa in circuitu, pergit spiritus et in circulos suos revertitur. Quemadmodum enim sol hic materialis annum nobis hujus vitae temperat, hiemem videlicet nobis adducens girando ad meridiem, aestatem vero flectendo ad aquilonem, oriendo quoque et occidendo gratam nobis diei noctisque vicissitudinem efficit: ita et Dominus, cum nascitur, nobis parvulus creatur et moritur, dies nobis breviores exhibet et quasi asperum passionis suae tempus efficit; resurgens vero a mortuis et ascendens in caelum quasi ad aquilonem flectitur diesque nobis aestivos productiores tendit sua in orbem deflexione, quod est nobis annum gratiae temperare diesque aeternitatis simul et requiem adducere. Sed nunquam igitur Christo in sole tabernaculum fide nostra constituemus, ut ipse ei corporaliter insidens quotidiano ortu cum ipso procedat, tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultetque ut gigas accurrendum viam suam, sicque impletum
(203) videatur, quod scriptum est, quod ascenderit super caelum caeli ad orientem. Nimis animalis hic sensus esset. Quasi vero sol ejus typum gerere non posset nisi Christo ei corporaliter insidente. Simul et antiquus error induceretur, quasi etiam singulis nobis compares esse stellas in caelo, a quibus delapsi, secundum merita ibi conquisita, corpora sortiamur in terris rursum ad easdem stellas reversuri. Igitur non absque scrupulo Christo in caelo materiali certus locus aliquis designabitur, quamvis parvulorum fidei non officiat, eum imaginari corporaliter sedentem in caelo secundum dicta patris Augustini, quae nos tamen eum de spiritali †) caeli spiritali loco sensisse arbitramur, ne patribus aliis inveniatur contrarius aliter de loco Christi sentientibus. Quorum unus, videlicet Ambrosius: Non quidem corporaliter, inquit, sedeat, qui ubique est. Jo. quoque Chrysosthomus, commemorans illud apostoli: *Quem suis temporibus ostendet Deus et solus potens!* non dixit: Quem mittet. Christus enim cum sit ubique, non venit de loco ad locum; sed ubique ostenditur, qui est celatus ubique. Hieronymus quoque contra Vigilantium: Si agnus ubique, ergo et hi qui cum agno sunt ubique credendi sunt.

Audiamus vero et ipsum Augustinum diviniora quaedam de Christi ascensione loquentem et spiritalibus spiritalia comparantem. Verba ejus Serm. LIV. de Verbis Domini haec sunt super his

---

†) l. *spiritalis.*

De justitia autem, quia ad patrem vado, et jam non videbitis me: Hanc beatitudinem, ait, spiritus sanctus attulit, ut ab oculis carnis servi forma remota, quam de Virginis utero accepit, in ipsam Dei formam, in qua patri aequalis, etiam cum in carne dignatus est apparere, permansit, purgata mentis acies tenderetur, ut eodem spiritu repletus apostolus diceret: *Etsi novimus Christum secundum carnem, sed jam non novimus!* quia et carnem Christi non secundum carnem, sed secundum spiritum novit. Qui virtutem resurrectionis non palpando curiosus, sed credendo certus agnoscit, non dicens in corde suo: *Quis ascendit in caelum? hoc est Christum deducere; aut quis descendit in abyssum? hoc est Christum a mortuis deducere.* Sed prope est, inquit, verbum in ore tuo, quia Dominus est Christus; et si credideris in corde tuo, quia Dominus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* — His verbis B. Au- (204)
gustinus dum purgata mentis acie Christum in Dei forma docet contuendum ipsamque ejus carnem non jam secundum carnem, sed secundum spiritum agnoscendam, spiritalia de Christo loquitur, quia, ut in uno materialis caeli loco corporaliter sedere imaginandus sit, item ipse de eo, quod in evangelio nobis permittit†): *Ecce enim merces vestra multa est in caelis!* docet non caelos istos visibiles oportere intelligi, ne merces nostra in rebus mobilibus volubilibusque videatur collocari. Quibus instruimur, quosdam spiritales caelos, in quibus justitia habitat, ipsum B. Augustinum non nescisse, quamvis, ut praemissimus, interdum lac potum parvulis dando humiliora de Christi mansione loquatur.

Quoniam igitur tam diverse et obscure††) de Christi loco patrum sententiae sunt, caelorum divisiones paucis nobis commemorandas video, ut, in quo potissimum caelo Christus locum statuat, fides spiritalibus spiritalia comparare sciens liberiori judicio deliberet. Quod enim melius et potissimum in rebus est, id Christo concedet assignari.

Primo igitur dividitur caelum in corporale et spiritale; nam corporalia spiritalium imagines sunt. Sunt autem corporales caeli tres. Primum aëreum, de quo volucres caeli nominantur; secundum aetherium purius, in quo planetae feruntur; unde scriptura ait Dominum dixisse: *Fiant luminaria in firmamento caeli et dividant diem ac noctem etc.;* tertium ipsum firmamentum, de quo item

†) promittit (?). — ††) rectius leg. *diversae et obscurae.*

scriptura ait: *Et vocavit Dominus firmamentum caelum.* Spiritale etiam caelum juxta patris Augustini diffinitionem in tria distinguitur visionum genera. Horum igitur caelorum primum est visio et agnitio rerum corporalium per sensus corporales. Secundum caelum visio est imaginum animae dormientis seu vigilantis divina revelatione ostensarum, qualiter Nabuchedonoser vidit statuam auream et Pharao visionem septem vaccarum pinguium septemque macilentarum ac totidem spicarum, Petrus quoque apostolus vidit vas quoddam linteum de caelo demissum, in quo erant quadrupedia et reptilia, de quibus dictum ei est: *Macta et manduca etc.* Hae, inquam, et caeterae ejusmodi per imagines divinas ostensae visiones secundum caelum est. Cui etiam connumerantur imagines qualitercunque in animas dormientium seu vigilantium venientes. At vero ejusmodi imaginum intelligentia mystica, per spiritum sanctum animabus sanctorum revelata, ipsa utique, ut pater Augustinus sentit, caelum tertium est. Aliter: primum spiritale caelum sit
(205) cognitio creaturarum materialium physica; secundum caelum sit divinorum per ea, quae facta sunt, intelligentia. Unde apostolus: *Videmus,* ait, *nunc per speculum et in aenigmate!* speculum cognitionis divinorum creaturam et aenigma eorum scripturas constituens; item: *Invisibilia,* inquit, *Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Tertium vero spiritale caelum ipsa spiritalium et invisibilium Dei in se ipsis per se ipsa in creaturam rationalem facta revelatio sit; quae in hac quidem vita in sanctis inchoari potest, perfici autem non potest. Similiter autem et paradisus divisiones recipit.

Est enim paradisus prima terrena, in qua primus homo positus fuit; secunda ecclesiastica ad reparationem hominis in sacramentis ecclesiae divinitus instituta; tertia caelestis paradisus est, in qua sacramentorum ecclesiae aeternus in semetipso ac per semetipsum fructus a beatis illic inhabitantibus est capiendus. Et tertium quidem caelum tertiaque illa caelestis paradisus invicem sibi juncta sunt, non tam loco, quam gratiae similitudine. Unde et Paulus, in unum ipsorum raptus, continuo se et in aliud raptum memorabat, hac tamen inter se, ut aestimo, differentia, quae in tertio caelo divinissimorum intellectuum et luminosi fontis sapientiae Dei aeterna affluentia et indeficiens scaturigo est, in paradiso vero caelesti spiritalium spiritalis corporis sensuum ineffabilis delectatio et aeterna aeternae delectationis affluentia est, desiderium implens, fastidium non admittens. Et hae illic sanctorum aeternae erunt deliciae, hic

cibus et potus, Deum videlicet palpando et videndo praesentem habere, palpando in paradiso, et videndo in tertio caelo, atque in aeternas ejus laudes erumpere dicendo: *Dominus meus et Deus meus.* Et haec nobis grata illic quasi divinae lucis et nocturnae quietis vicissitudo erit, fonti videlicet sapientiae ac divinae lucis gurgiti innatare, perinde vero, aut certe simul paradisi inaestimabili requie confoveri. Qui nobis, ut aestimes, fructus geminus de sacramentorum participatione proveniet, quo nunc pie ac fideliter ad altare dominicum, ad mensam illam spiritalem ac caelestem calicem sanguinis Domini praeclarum et carnem ejus in vitae aeternae pastum sumimus. In hoc ergo tertium caelum reliquis caelis omnibus dignitate et gratia eminentius; in hanc caelestem paradisum, caelo huic tertio dignitate et fructu contiguam atque unitam, pium est credere assumptum esse Dominum Jesum, perfectum illum hominem ex anima rationali et humana carne subsistentem. Nam secundum Verbi essentiam ab aeterno illic erat, nec redire illuc (206)
poterat, unde nunquam recesserat. Parum vero esset, eum sic in paradisum ac tertium illud caelum assumptum, ut illic quemadmodum unus maximorum angelorum vel hominum sit divinitatis lucem et gratiam participans; imo vero ipse una cum patre dominatur, data sibi omni potestate a patre in caelo et in terra. Ipse fons gratiarum et earundem gratiarum in omnem caelestem curiam per spiritum suum una cum patre omnipotens distributor est. De quo fonte Psalmista in spiritu loquens ait ad patrem: *Domine, apud te est fons vitae.* Etenim dominus, cui loquitur, ipse Deus pater est; fons apud ipsum ens*) Dominus filius est; vita de fonte manans spiritus sanctus, spiritus amborum est. Ac ne quis putet, eum hunc spiritum et rivum vitae in eo, quod homo est, non profundere, audiamus Joannem in Apocalypsi sua dicentem: *Et ostendit mihi,* nimirum angelus, *flumen aquae vivae splendidum tanquam crystallum procedens de sede Dei et agni.* Nam dum unam sedem majestatis Deo et agno constituit, de qua hoc flumen, quod utique spiritus sanctus est, procedit, ipsam processionem ad agnum, quod plane hominis nomen est, pertinere vult intelligi. Si vero agnus hic homo tantum et non Deus esset, hanc de se aquam profundere impotens esset. Nunc vero, quamvis agnus ille totus Deus, totus et homo sit, non tamen eo quod homo, sed eo quod Deus est eandem aquam profundit. Quod in Ezechielis visione

*) forte *existens* leg.

significatum est, ubi aqua haec de latere templi dextro egredi visa est. Aut certe duo latera templi hujus sunt, quod est Christus*), vita praesens, quam dispensatorie ad tempus agebat in terris, et aeterna, quam nunc cum patre agit in caelis, ut illa vita temporalis pro latere sinistro, ista vero aeterna et caelestis pro latere dextro sit. Ipse vero Dominus Jesus adhuc mortalis flumen illud, quod est spiritus sanctus, de se non profudit, quando ad**) patrem ipse sinister quodammodo adhuc fuit, patre videlicet sua sinistra, quae filii mortalitas erat, dexteram ejus tenente et in voluntate sua ipsum deducente. At postquam totus dexter totus aeternus ad dexteram consedit, tunc de illo dextro suo latere spiritus sancti flumen profudit. Unde igitur scriptum est: *Nondum erat spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus.* Puto autem tem-
(207) pli hujus sublime, latum, longum et profundum non aliud quam tertium illud, de quo loquimur, caelum ac caelestem paradisum existere. Sicut enim in regno Dei nihil tertio illo caelo sublimius, nihil paradiso delectabilius, ita et in civitate illa, quae item regnum Dei intelligitur, nihil templo illo, quod est Deus et agnus, praestantius inveniri potest. Sed quia duo illic summa paria esse non possunt, ipsum templum, quod est Deus et agnus, non aliud quam caelum tertium et paradisus illa caelestis est. Nihil enim est praeter Deum, quod nostrae beatitudini sufficiat. Unde vere ait Philippus ad Jesum: *Domine, ostende nobis patrem, et sufficit nobis.* Et Psalmista: *Inebriabuntur,* inquit, *ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos.* Et ostendeus, unde ista Deo suos potandi et inebriandi facultas, adjecit: *Quoniam apud te est fons vitae!* quoniam apud te, o pater, nunc exaltatus est fons vitae, i. e. filius tuus, qui est fons vitae, i. e. spiritus sancti torrentis illius voluptatis de se manantis pariter et ex te; ac proinde *in lumine tuo,* in eodem filio tuo, fonte luminis luminoso, qui lumen de te lumine tibi consubstantiale est, *videbimus lumen,* videlicet spiritum sanctum de te ac filio procedentem. Non autem aliud domus atque aliud Dominus aut bona domus illius aliud quid ab ipsa domo et Domino putanda sunt. Etenim templum sive domus illius civitatis dominus Deus est; et agnus, fons etiam vitae et vita de fonte manans torrensque ille voluptatis Dei quid aliud quam filius et spiritus sanctus est?

---

*) *Christi* forte leg.
**) *apud* forte leg.

Haec itaque lux, hoc lumen de lumine Deo, tertium etiam illud caelum, hic torrens voluptatis Dei nostra paradisus illic futura est, eo quod sola Dei visio nostrae beatitudini satis est. Quid†) autem illic tertium caelum vel paradisum, quam domum vel bona domus, quem fontem, quam vitam, quem voluptatis torrentem illic praeter Deum speraremus, cum solus Deus omnia haec et quaeque illius regni bona futurus sit in omnibus? In hoc igitur caelum, in hanc paradisum, in hanc domum, in haec bona domus homo Christus Jesus assumptus est, non tam ut ipse in illa beatitudine sit, sed ita ut ipse utraque natura una cum patre ac spiritu sancto nostrae beatificationis templum sive domus nostrae beatitudinis caelum atque paradisus sit. Etenim etsi genere naturae unum adhuc nobiscum est, virtute tamen et operatione omnipotentiae eadem natura a patre seu Verbo discreta non est, utpote tota nunc (208)
dextra et in dextra patris collocata ac proinde nostrae beatificationis fluvium fundere potens effecta, qui, ut praemissum est, a latere templi dextro egredi Ezechieli visus est. Ita enim in divinae infinitatis altum, latum, longum et profundum excrevit, ut omnes nos una cum angelis intra suae capacitatis sinum capere sufficiat. Et hic sinus ille veri nostri Abraham est; haec illa Christi gloria, quam ingressus est; sic, sic homo Jesus Christus in Deo absconditus est. Ad hoc autem pertinet illud, quod Dominus Jesus, cum pati pro hominibus vellet, non praecipitio collidi, non lapidibus aut lapidum ictibus exstingui, sed crucis patibulo consummari voluit, quatenus in ipsa poena ac passionis formula quaedam imago subsequentis gloriae praecederet. Quod resurgens a mortuis ipse Dominus et propria voce significare curavit dicens: *Nonne haec oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam?*

Quid est hoc *pati* nisi crucifigi? De crucifixione enim illi praemiserant, quibus loquebantur, dicentes: *Quoniam tradiderunt eum summi sacerdotes et principes ipsorum in damnationem mortis et crucifixerunt eum.* Tantum igitur valet, quod ait haec pati, quomodo si dictum esset : sic pati. Nam et hoc canendo frequentat ecclesia: *Nonne sic oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam?* Quid est haec vel sic pati? Sic a terra sublimari, sic in longum et latum distendi et clavis ligno, quod terrae sit infixum, affigi, quatenus ignominiosa et protracta in

†) quod (?).

longum morte ac mortis tormento moreretur. Sed nunc mihi magis de formula ignominiosae mortis quam de tormenti protractione vel acerbitate consideratio est. Non enim diceret *sic pati et ita in gloriam suam intrare,* nisi formula passionis imago simul et meritum gloriae subsequentis existeret. Quam autem hic intelligimus aut intelligere debemus eum dixisse gloriam suam nisi eam, quam habuit apud patrem, antequam mundus fieret? Hanc enim et non aliam quamlibet mediocrem sibi ipse ante postulaverat di-
209) cens: *Et nunc clarifica me tu, pater, apud temetipsum claritate, quam habui prius quam mundus esset apud te.* Quae autem aut qualis illa gloria quantave, imo quam immensa, nemo nescire debet. Etenim sublimitas illius†) divinitatis ejus majestas est; amplitudo illius gloriae inaestimabilis ejus charitas est et ubique et in omnia dominandi potestas; profundum illius gloriae est sapientiae pelagus immensum et judiciorum impenetrabile secretum; diuturnitas et longitudo ejus gloriae non alia quam aeternitas est. Hanc enim gloriam una cum patre Verbum ab aeterno habuit; sed ut eandem gloriam suam in nostri generis formam, in qua ab ea distabat, acciperet, mortis ignominiosae pro nobis susceptae meritum intervenire debuit. Quam sane mortem, non in se potentem, sed ab eo potenter et sapienter propria voluntate nostrae salutis causa admissam, ita eadem sapientia moderata est, ut in ejus formae charactere subsequentis gloriae forma legi valeat atque intelligi ab his dumtaxat, quos spiritus Dei illustrare dignatur. Hoc autem ut possimus, apostolus pro nobis orans: *Flecto,* inquit, *genua mea ad patrem Domini nostri Jesu Christi, ut det vobis secundum divitias gloriae suae virtute conroborari per spiritum ejus in interiori homine, habitare Christum per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum.* His enim verbis apostolus nobis crucis dominicae characterem ante oculos mentis depingit orans, ut divinitus illuminati legamus et intelligamus sacramenta, quae ejusdem characteris formula signantur. Itaque apostolica oratione, quantum Dominus dignatur, exaudita super nos accedamus et nos et legamus in isto singulari, nostrae salutis ac divinae imaginis visibili charactere, ut ante quoque perstrinximus, divinae majestatis sublime, sapientiae profundum, charitatis latum, aeternitatis longum. Quia

---

†) deest vox *gloriae.*

vero filius Dei ejusdem divinae sublimitatis, profunditatis, latitudinis et longitudinis conscius extitit, ideo hanc formulam passionis potius qua consummaretur elegit; in qua nimirum passione passionisque formula apud homines ignominiosa dum Deus homini, assumens assumpto unitus est, nihil apud Deum, ut apud homines, justius est aut justius videri debet, quam ut assumptus assumenti, homo Deo unitus nunc atque identatus in gloria sit. Amplius dico: Quia enim divinitatis gloria homini illi, utpote ex Deo nato, (210
ac Dei unico et naturali filio debita extitit, etiamsi absque passionis ignominioso illo tormento consummari voluisset, meritum passionis ejus nostrae acquisitioni cessit nosque suae gloriae participes acquisivit, ut, dum nos in crucifixum credimus, quod apud hujus mundi sapientiam stultum et ignominiosum est, ejusque passionis et ignominiae sacramentis participamus *consepulti eo per baptismum in mortem:* gloriae quoque ejus in vita participare debeamus, qui pro nobis ignominiosa morte consummatus est. Dico adhuc, quoniam eadem crux nos veraciter in crucifixum credentes tendit in altum spei, in fundamento timoris et humilitatis collocat judiciorum Dei profundo solicitos, in latum charitatis et in longum perseverantiae tendit, ut, dum agnus suo alto, profundo, lato et longo nobis aeternae habitationis templum, paradisi quoque requies ac tertii caeli splendor et lumen est, nos quoque per ipsum nostro alto, lato, profundo et longo ipsi inhabitationis domus, hortus quoque deliciarum ac caelum efficiamur, in quo habitare dignetur. Aliter autem ipse in nobis atque aliter nos in ipso habitabimus. Sive enim ipse in nobis sive nos in illo habitemus, utrumque prodest non ipsi, sed nobis. Ipso enim subtrahente se nobis nos carcer tenebrosus, vitiorum volutabrum, spelunca latronum et inhabitatio daemonum essemus. Ipse autem, sicut nostra in se mansione non proficit, ita nostra subtractione non cadit. Nos enim si negaverimus eum, fidelis permanet; se ipsum negare et a se ipso deficere non potest nihilque ei de suo aeterno sublimi, lato, longo et profundo potest deperire. Qui utique et nobis cadentibus alios pro nobis substituere potens est. Sic nos interim crucis charactere Deo illuminante primo aeternam divinitatis gloriam, secundo ipsam homini assumpto socialiter acquisitam, tertio nobis eandem per ipsum participatam legere possumus. Unde recte et veraciter a Veritate dictum est: *Quoniam sic oportebat pati Christum!* et: *Nonne haec oportuit pati Christum et ita,* videlicet quemadmodum passus est, *intrare in gloriam suam?* Eam videlicet, quae ab

aeterno et in aeternitate sua, id est propria Verbi erat, quaeque et ante passionem nativitatis virginalis ex Deo jure sua (?) erat hominis, sed passionis quoque et obedientiae merito, quasi duplici jure, et homini illi acquisita et nobis per ipsum donata est.

Quidam christianae scholae didascalus*) super crucis et crucifixionis Christi sacramento cecinit dicens:

1) Neve quis ignoret speciem crucis esse colendam,
Quae Dominum portavit ovans, ratione potenti
Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis.
Splendidus auctoris de vertice fulget Eous;
Occiduo sacrae lambuntur sidere plantae.
Arcton dextra tenet; medium leva dirigit axem.†)

Ut, quomodo orbem quatuor his plagis disterminatum nostrae habitationi terreae competere ac sufficere novimus, ita invisibilia et spiritalia Domini nostri Jesu Christi spatia, in quae cruce ac merito passionis distentus excrevit, omnis rationalis creaturae inhabitationi sufficere non dubitemus.

Videamus autem quatuor plagarum orbis hujus ad invisibilia Domini nostri Jesu Christi congruentiam. Etenim oriens divinitati ejus congruit, quae non ortus, sed oriens idcirco recte dicitur, quod semper nova sanctis angelis et beatis hominibus eam contemplantibus oriatur eosque sua semper innovet novitate. Unde et de Domino Jesu Christo scriptura ait, quoniam ascendit super caelum caeli ad orientem, id est usque ad insitam sibi divinitatis lucem, semper novam sanctis angelis et beatis hominibus orientem. Simul et Dominus noster Jesus Christus in eo, quod Verbum patris est, non ortus, sed oriens recte dicitur. Illa enim ineffabilis genitura non secundum praeteritum et futurum consideratur, sed sempiterno praesenti filius a patre generatur. Hic autem oriens super sanctos angelos et beatos homines solus est. Qui nimirum caelum spiritale sunt, hujus visibilis caeli significatum, quodque huic materiali caelo et terrae omnibusque visibilibus non quidem loco, sed naturae subtilitate et vigore intelligentiae supereminet. De qualibus caelis scriptum est: *Qui fecit caelos in intellectu;* item: *Caeli enarrant gloriam Dei;* et illud: *Caelum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.* Hoc ergo caelum hujus visibilis caeli, ut dixi, caelum est, super quod solus divinitatis oriens est, qui utique Domini nostri Jesu Christi vertice fulgidus est, eo quod

*) Sedulius. — †) *Pasch. Carm. lib. V. v. 188 ss.*

divinitas sive Deus caput Christi est. Humana vero Christi natura ipsa occidenti congruit, eo quod in ea propter nostrae mortalitati communicavit. Propter quas duas naturas, quae Christi essentiae sunt, ipse de se confitetur dicens: *Ego sum α et ω, principium et finis.* Sed Dominus jam super hunc occasum ascendit, quia (21
naturae nostrae mortalis mutabilitatem ob meritum obedientiae in suae immobilitatis formam provexit. Harum duarum naturarum operationes duas Arcton et meridiem constitue: et orbem quadrifidum spiritalem nostrae simul et angelicae inhabitationis perfeceris. Quae sunt autem duarum naturarum operationes principales vel generales, nisi misericordia et veritas, de quibus scriptum est: *Misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatae sunt!* item: *Semel locutus est Deus, duo haec audivi, quia potestas Dei est et tibi, Domine, misericordia.* Item psalmista de his: *Misericordiam et justitiam cantabo tibi, Domine!* et: *Universae viae Domini misericordia et veritas.* Quid autem divinius aut divinitatis operationi congruentius potentia, qua conditi, et justitia, qua judicandi sumus? Humanae quoque naturae in Christo opus esse passionem, qua misericordissime redempti sumus, nemo est qui dubitet. Itaque veritas divinitatis, misericordia opus est humanitatis in Christo. Veritas autem et veritatis austeritas aquilonari asperitati congruit, misericordia vero australi lenitati. Et nunquid has quatuor plagas in Christo nosse ipsumque per has nostrae aeternae habitationis domum existere, aeternae ejus omnipotentiae gloria non est? Unde et super his dici congruit: *Nonne sic oportebat pati Christum?* sic in quatuor plagas orbis distendi, *et ita,* quemadmodum passionis formula praeostendit, *intrare in gloriam suam?* Etenim ad aeternam ejus pertinet gloriam, quod ipse est per divinitatem oriens ille spiritalis, de quo scriptum est in Zacharia: *Ecce vir, oriens nomen ei!* qui et mutatorio illic et coronis aureis mystice perornatus est. Humanitas quoque ejus et humilitas, qua nobis ad vitam iter ostendit, etiam ipsa gloriae ejus augmentum est. Quid autem passionis opus, pietatis illa miseratio, quam†) semetipsum pro nobis peccatoribus et inimicis tradidit in mortem; quid potentiae ejus magnitudo, justitiae aequitas, judicii directio: quid, inquam, etiam haec, nisi coronae et gloriae ejus aeterna insignia, honoris decus in capite ejus glorioso sunt et in aeternum erunt? In his angeli, quo ascendant et quo descendant,

†) qua (?).

inveniunt; in his tam angeli quam homines, quod cum reverentia
et tremore aspiciant, quodque cum dilectione admirentur et stupeant,
vident. Et quantum, si natura utraque sua proprietate considere-
3) tur, ortus iste divinitatis ab occidente nostrae differt humanitatis
Quantis spatiis septentrio ille potentiae et justitiae a meridiano distat misericordiae et miserationis! Sed et in hoc proprietas considerationis misericordiae ad Austrum et justitiae ad Aquilonem est, quod duo haec opera Dei, quasi duo spiritalis firmamenti, quod est Christus, fixi cardines sunt, in quibus universorum Dei operum vertigo est. *Universae enim viae Domini misericordia et veritas.* Vide autem, hos cardines esse fixos, *quoniam et veritas Domini manet in aeternum, et misericordia ejus ab aeterno et usque in aeternum super timentes eum.* Quid autem aeternitate fixius? — Nemo mihi rotam hic inducat fortunae hunc pro suo velle exaltantis et illum deprimentis; *quia calix hic non in manu fortunae, sed in manu Domini est.* Unde scriptura nos praemonet dicens: *Nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui adversus deum iniquitatem; quia neque ab oriente neque ab occidente (quod est septentrio et meridies, subaudi) patet locus effugii, quoniam Deus judex est.* Judex autem Deus non, sicut de fortuna caeca perhibent, hunc vel illum indiscreto animi motu levat vel deprimit, sed, sicut audit et videt, judicans hunc humiliat, et hunc exaltat, justo quidem, quamvis occulto, cuncta dispensans judicio. Insuper et hoc ad proprietatem horum spiritalium facit cardinum, quod misericordiae cardo depressior, justitiae vero cardo quasi ad nostrum situm elevatior est. Etenim dicente spiritu sancto in David: *Suavis Dominus universis, et misericordia ejus super omnia opera ejus!* cum suavis Dominus universis ab eo bene et bonis factus sit, tamen miserationes ejus, quibus pro impiis humanari, pati et mori dignatus est, adeo super omnia opera ejus sunt, ut misericordia praeponderans cardo depressior et justitia, quasi minus habens, cardo elevatior habendus sit.

Pone igitur duo hos cardines quasi in duas staterae illius lances, quam crucem dominicam intelligimus. De qua dicit spiritus prophetiae in Job: *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas mea, quam patior, in statera.* Pone quoque in lance judicii ex parte Aquilonis peccata nostra originalia et actualia, quae multa et magna nimis erant, quibus merebamur aeternae damnationis judicium. Pone autem e regione omnes

totius generis humani miserias hominibus propter peccata illatas:
pone, inquam, has e regione ad australem cardinem in lance miseri- (214
cordiae. Nam et mors corporis homini misericorditer illata est, ne, si in aeternum in peccatis viveret, daemonibus similis esset, simul quia et praedestinatione divina redemptio illius de†) morte filii Dei parabatur. Dum ergo et mors††) Christi cum universis ejus passionibus, quae immensi ponderis et inaestimabilis pretii sunt, in lance misericordiae nostris poenis addideris, quibus e regione nullum ejus peccatum vel actuale vel originale, quod in lance judicii imponatur, inveniri potest — etenim veniens ad eum princeps mundi hujus nihil in eo suum invenit — : lanx illa misericordiae tanti ponderis efficitur, ut ejus pondere, in quo multum valet humilitas Christi, lanx illa aquilonaris, peccata nostra continens, admodum exaltetur, peccata quoque nostra, ex ea decussa, in profundum maris projiciantur. Quod et factum cum gratiarum actione recolimus, sicut scriptum est: *Superexaltat autem misericordia judicium.* Ita crux Domini nostri Jesu Christi totum mundum Deo et sanctis ejus dedicavit, utpote universa complectens; impiis vero eadem crux orbem eundem paenalem quacunque diversantibus efficit.

Veniant huc omnes, ad hanc magnam et amplam spiritalem domum, cujus crux dominica sanguine dominico inscriptus character, cujus imago visibilis hic mundus est: et omnes intra suae capacitatis sinum suscipere sufficiens est.

Veniant pueri primo aetatis flore nitidi: et in oriente suae habitationis locum invenient. Festinent huc decrepiti: et in occidentis parte hujus domus locus eorum est. Veniant huc juvenes, veniant ephebi, sole nostro ad aquilonem flectente, dies nobis aestivos faciente: et a morbido suo fervore timoris Dei refrigerentur aquilone; si vero in dilectione Dei fervidi sunt, cum fervore sancti spiritus aestivo convenient. Veniant huc peccatores, quantumlibet a dilectione Dei frigidi: et sol noster gyrans ad meridiem poenitentibus sua miseratione condescendet. Ex his namque quatuor generibus hominum regnum Dei complebitur, et horum omnium sibi attrahendorum causa Christus in quatuor plagas distentus. Unde et ait: *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.* Et, numquid non omnium attractio et a morte extractio sua aeterna gloria est? nonne ergo sic oportuit pati Christum?

Et haec crucis quasi in terra stratae vel ad orientem acclivis

†) omissa sit vox *peccato*, aut delenda praep. *de*. — ††) l. *mortem*.

consideratio est. Nam in alto ejus, quod et sublime dicitur, profunda quoque ejus longo et lato erectae crucis imaginatio est. De
15) quibus ante, quod potuimus, diximus. Sed et sic considerata et imaginata crux mundum suis brachiis attrahit, inferna transfigit et spoliat, caelestia locupletat et laetificat, dum vinctos, quos absolvit, ad superna transponit. Et numquid non in his aeterna victoriae suae, salvationis nostrae, confusionis tartareae, laetificationis angelicae Christus gloria est? Etiam *sic ergo oportebat pati Christum et ita intrare in gloriam suam.*

Video et aliud, pro quo mihi dicendum sit, *quoniam sic oportebat pati Christum et ita intrare in gloriam suam.* Summa Christi gloria est, unam esse ex tribus summae trinitatis personis; idque Christi in eo quod ex aeterno a Deo genitus est privilegium noscitur singulare, ut medius trium personarum sit; idque homini per gratiam simul et ob meritum obedientiae parabatur, ut, qui Verbo per gratiam et nativitatis virginalis ex spiritu sancto naturam unitus in persona extitit, eidem quoque identaretur in gloria. Quod autem media trium personarum filius sit, ex evangelio palam est, ipso dicente discipulis suis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris et filii et spiritus sancti.* Igitur ut ad hanc gloriam homini meritum pararetur, ipsa disponente sapientia Dei, qualiter ex hoc mundo ad patrem transiret, etiam hoc ignominiosae morti ejus additum est, ut cum iniquis reputatus medius duorum latronum crucifigeretur. Non quod aliter ipse gloriam suam non introisset, quin potius nostrae imbecillae fidei per hoc consultum et subventum est, quibus sine hac fide impossibile est placere Deo, qua credendum est hominem Jesum Christum in gloriam Verbi atque Dei patris assumptum. Nam si nunc post meritum tam asperae obedientiae, post deformationem tantae ignominiae ad credendum hominis assumpti gloriam a paterna gloria indivisam pigri sumus juxta illud: *O stulti et tardi corde ad credendum!* quid faceremus, si tantis ad credendum impendiis non adjuvaremur?

Nunc vero adhibeamus aequitatis libram, justitiae regulam; acqua pondera staterae imponamus: et videbimus, justum esse apud Deum atque in omni consistorio hanc justitiam defendi posse, ut, quantum Dei filius in nostris suis propriis effectis humiliatus et exhonoratus est, tantum nostra jam sua facta debeant in illo sublimari et glorificari. Quanta vero humilitas et inhonoratio haec fuit, Dei filium, in humana forma absconditum, indignum humana vita et humana conversatione censeri et cum iniquis vita humana

privari, in medio latronum crucifigi, qualiter et lupos forte com- (216
prehensos suspendere consuetum est! Unde ipse in propheta,
inhonorationis suae praescius, loquitur dicens: *Ego autem sum
vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis!*
eo quod absque consideratione humanae in eo formae, absque com-
munis humanitatis intuitu, quasi vermem se conculcandum praevi-
derit. Quanta igitur haec inhonoratio fuit! Quid enim sub ho-
minibus vel post homines in rerum natura nisi bestiae sunt et
vermes? Unde, qui humano consortio indignus judicatus est, pro-
cul dubio inter bestias et vermes est deputatus. Quid vero supra
homines et angelos — nam hi consortes in gloria sunt —: quid, in-
quam, super hos in rerum ordine est nisi sancta trinitas, unus
Deus? Qui itaque pro nostra salute non abhorruit ab hominibus
abjici et quasi vermis conculcari — dicit enim et hoc: *Miserere
mei, Deus, miserere mei, quoniam conculcavit me homo —;* qui,
inquam, non dedignatus est ab hominibus abjici et in medio la-
tronum crucifigi ac, nisi legis praeceptum ei subvenisset, jubentis,
in patibulo suspensos eadem die sepeliri, humana sepultura indignus
censeri: quid justius tanta pietas et obedientia talis ac tanta in-
honoratio Dei in homine mercedis acciperet, quam ut homo, in
quo tam abjecta passus est Deus, super omnem angelorum et ho-
minum gloriam exaltatus (qui utique in gloria consortes sunt)
illius gloriae, ut ait Leo papa, sociaretur in throno, cujus naturae
copulabatur in filio, ea videlicet in gloria identatus, qui solus est
super angelos et homines et super omnia Deus benedictus?

Nec vero putandum est, beatos angelos tantae exaltationi
humanae naturae in Christo invidere; quin potius gratantur ac (?)
laetis oculis aspicere, eo quod per illud divinae pietatis opus et
eorum numerus nostra acquisitione redintegratus sit, insuper vero
et eorum gloriae per idem pietatis sacramentum non nihil accesserit.
Etenim antequam hic primogenitus in orbem introduceretur; ante-
quam in thronum patris homo hic, qui et Deus, exaltaretur, adhuc
ipso paulo minus ab angelis minorato nec adhuc lapide hoc angu-
lari in caput anguli facto, magna valde erat inter creaturam et
creatorem divisio; quippe quam nullum medium et utrique con-
substantiale vinculum necteret aut nexura ipsa adhuc haerede hoc
parvulo non talis palam esset. At postquam hic haeres in magnam (217)
rem publicam hanc et in gloriam patris sui est introductus, qui
simul Deus et homo, creator et creatura est: familiarius cum Deo,
non solum hominibus, sed et angelis est consortium, quippe qui

inter se ac patrem hunc mediatorem aspiciunt, qui et cum patre Deus et qui cum eis atque nobiscum creatura est.

Itaque et super his dicere convenit, quoniam sic oportebat pati Christum, sic ab hominibus ejici et inter latrones vita humana indignos deputari, medium inter eos crucifigi et ita, quemadmodum haec formula contumeliae praedocet ac meriti pondus exposcit, intrare in gloriam suam, ut sit super omnes spirituum beatorum ordines summae trinitatis medius, quemadmodum inter medios latrones, inter medios bestiales homines pro nostra salute est crucifixus. Unde vere, et ut decuit sapientiam, in pondere aequitatis verba haec prolata sunt Domini Jesu dicentis: *Quoniam sic oportebat pati Christum et ita intrare in gloriam suam.* Nam si, ut ait scriptura, *verba sapientis**) *statera ponderabuntur,* verba veritatis statera aequitatis prolata debent censeri.

Et quia glorificatio Domini Jesu Christi in Deo absconsio est, simul considerandum, tempore dispensationis corporalis qualiter vel quatenus Deus in homine Christus fuerit absconditus, juxta verba Pauli apostoli dicentis: *Quoniam praedicamus sapientiam Dei in mysterio absconditam, quam nemo principum hujus saeculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam dominum gloriae crucifixissent; sed, sicut scriptum est, quod oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se.* Videamus ergo, quatenus Deus tunc in Christo fuerit absconditus, ut, nunc Christum versa vice in Deo tantundem absconditum esse, libra aequitatis adhibita justum et aequum sentiamus. Si enim soli eum principes hujus mundi aliique saecularibus curis et vanitatibus dediti absconditam in carne
218) sapientiam Dei filium non cognoverunt, et sancti Deum diligentes, qui cum eo conversabantur, proprii vigore ingenii Deum in humana specie latentem cognoscere potuerunt et cognoverunt, non nimis magna erat illa absconsio. Nunc vero audimus, Petro, aliquamdiu cum eo conversato, dici ab ipso, quoniam non caro et sanguis revelaverit ei sacramentum illud manentis in carne filii Dei, sed pater ejus qui in caelis est. Insuper et apostolos omnes in morte ipsius scandalizatos non nescimus, ita ut, nisi Dominus orasset pro Petro, ne deficeret fides ejus, si fieri potuisset, etiam fides apostolorum defecisset. Unde et quidam ipsorum a sua spe fracti dicebant: *Nos autem sperabamus, quoniam ipse erat redempturus Israel.*

*) *prudentis,* leg. Eccl. 21.

Magna erat ista sapientiae Dei in mysterio absconsio, quoniam invisibilis Deus et in carne visus lassescebat, dormiebat, esuriebat, sitiebat, comedebat et bibebat, pavere et taedere visus est, quoniam Vita post irrisiones, sputa, colaphos, flagella tandem in cruce suspensa, mortua et sepulta est. Quanta, quam profunda absconsio dominatoris omnium in sepulcro, vitae vivificatricis in morte, salutis omnium in doloribus, gaudium in moeroribus, factoris caelorum in praesepio et pannis, Verbi et sapientiae in infantia, spiritus in carne, Dei in virginalis alvi matrice! Major et secretior ista absconsio, quam si ignis in aquae frigidae specie absconderetur! Quamvis et hoc miraculum unum ex antiquis miraculis sit, patribus nostris de Babyloniae captivitate reversis in hujus miraculi signum praeostensum. Etenim in puteo alto et sicco, ubi patres eorum ignem sanctum altaris absconderant, non ignis, sed aqua crassa inventa est. De qua cum Neemias sacerdos sacrificium perfundi jussisset, ignis de ipsa aqua resplenduit et holocaustum ita, ut erat aqua perfusum, consumpsit. Sic†) enim ignis sanctus de aqua crassa vel in ea absconditus resplenduit, ita et de Domini nostri Jesu Christi humanis operationibus et passionibus flamma non modica miraculorum et divinae virtutis effectus resplenduit, quibus magnum illud sacramentum pietatis, quod manifestatum est in carne, justificatum et sanctificatum est in spiritu. Qualis itaque fuit ignis jam dicti in aqua crassa absconsio, talis erat sapientia Dei vere in (219)
humanitatis Christi abscondita mysterio. Igitur et versa vice, dum homo glorificatus est in Deum, Christus Jesus et vita nostra cum ipso abscondita est in Deo. Nihilque esse aliud aestimo Christum in Deo abscondi, quam mortale a vita, carnis fluidam speciem virtute spiritus absorberi et in omnem formae Dei impassibilis gratiam et efficientiam promoveri. Quod item in praefato miraculo figuraliter praeostensum est, dum ignis de aqua resplendens tantum invaluit, ut ipsam aquam, de qua resplenduit, una cum holocausto eadem aqua perfuso devoraret. At non in Christo humanitatis essentia igne divinitatis de ipsa resplendente consumpta est, sed permanens esse, quod erat, mutabilitatis nostrae qualitatibus absumptis, melioribus, id est divinae proprietatis qualitatibus superinduta est. Cujus immutationis expressam in lapide crystallo similitudinem habemus; de quo scriptum est: *In similitudinem lapidis aquae durantur.* Crystallus namque similitudo lapidis est, non

---

†) sicut (?).

suapte natura lapis, quia durata gelu aquae substantia, sicut ajunt physici, speciem hanc efficit. Quod ad praedictam immutationem carnis apta similitudine referri Gregorius perhibet in Ezechielem, dum dicit: Corpus redemptoris nostri, quia usque ad mortem passioni subjacuit, aquae simile juxta aliquid fuit, quia nascendo, crescendo, lassescendo et esuriendo, sitiendo, moriendo usque ad passionem suam per†) momenta temporum decurrit.*) Sed quia per resurrectionis suae gloriam ex ipsa corruptione in incorruptionis virtutem convaluit, quasi crystalli more ex aqua duruit, ut in illo et haec eadem natura et ipsa jam quae fuerat corruptionis mutabilitas non esset.

Aqua ergo in crystallum versa est, quoniam corruptionis ejus infirmitas per resurrectionem suam ad incorruptionis est firmitatem solidata. Et notandum, quia, cum species crystalli perpulcra sit, dicitur in hac significatione quasi adspectus crystalli horribilis; quia redemptor noster unus idemque serenus justis, injustis autem,
220) ut supra dictum est, apparebit terribilis.

Igitur sicut aqua non pereunte substantia vel substantiae quantitate, sed sola qualitate, quae fluxa fuerat, in soliditatem transeunte in similitudinem lapidis duratur, sic assumptus homo non pereunte substantia membrorumque servato numero vel quantitate ascendit. Primum, quoniam resurrexit, ascendit, inquam, inlocaliter ad orientis, id est divinitatis, de qua supra dictum est, conformitatem atque coaeternitatem, sola penitus absorpta, quasi fluxa qualitate, secundum quam timuit potuitque taedere et pavere et dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem!* et caetera talia. Secundo autem ascendit et localiter videntibus apostolis super firmamentum caeli ad orientalem plagam. Ubi autem et quomodo sit dominicum corpus in caelo, curiosissimum et supervacuum est quaerere, inquit Augustinus in libro de Fide catholica; tantummodo in caelo esse credendus est. — Non enim fragilitatis nostrae est, caelorum secreta discutere, neque inde imaginabiliter cogitare. Nam etsi pium est, venerari passionis dominicae imaginem vel pictam vel cogitatam vel etiam sculptam sive pendentis in cruce sive sedentis super asinam et pullum, non tamen congruit, imaginabiliter eum cogitare distentum nunc in immensum dominium suum vel sedentem super ecclesiam de Judaeis et gentibus collectam vel etiam consedere nunc patri sedenti super Cherubin

†) ms. t. *ps.* — *) decucurrit.

ac thronos, quia talis consessus, dum quasi flexis poplitibus cogitatur, affirmante Augustino, magnum simulacrum in corde collocatur, dum patris dextera quasi localis aestimatur. Legimus de Moyse, quoniam, cum mortuus esset, jubente Domino in terra Moab sepelivit eum Dominus in valle terrae Moab contra Phogor, et non cognovit homo sepulcrum ejus usque in praesentem diem. *Invenitur autem in descriptionibus Hieremiae prophetae, quomodo tabernaculum et arcam jussit (?) propheta divino responso ad se facto comitari secum, usque quo exiit in montem, in quo Moyses ascendit et vidit Dei haereditatem. Et veniens ibi Hieremias invenit locum speluncae, et tabernaculum et arcam et altare incensi intulit illuc, et ostium obstruxit. Et accesserunt quidam simul, qui sequebantur, ut notarent sibi locum; et non potuerunt invenire. Ut autem cognovit Hieremias, culpans illos dixit, quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi* (221) *et propitius fiat. Et tunc Dominus ostendet haec; et apparebit majestas Domini et nubes erit, sicut et Moysi manifestabatur, et sicut cum Salomon petiit, ut locus sanctificaretur magno Deo, manifestabat haec.* Puto autem haec in figuram facta esse populo illi, cui omnia fere in figuram contingebant, scripta autem esse propter nos, ne simus curiosi scrutatores majestatis et investigatores absconsionis corporis novae legis nostri latoris Domini Jesu, quem suscepit nubes ab oculis nostris, divinitatis secreto abscondente illum et quodammodo sepeliente a nobis. Ipsum etenim corpus et arcam testamenti licet intelligere, quod tempore hujus peregrinationis nostrae simul et Babylonicae captivitatis in suo loco nobis incognito permanebit absconditum, donec congreget Deus congregationem populi, tunc videlicet quoniam†) resurgentibus mortuis nos simul cum illis in nubibus rapiemur obviam Christo in aëra, et sic semper cum Domino erimus. *Cum enim Christo*††) *apparuerit, vita nostra, tunc et nos cum ipso apparebimus in gloria.* Unde et nunc, tempore incolatus nostri, unus absconsionis locus est tabernaculi cum arca, id est ecclesiae de hac vita ad Deum transeuntis. Absconsionis unus locus erit cum Christo in Deo, differente tamen gloria vel gratia. In domo etenim illa aeternitatis mansiones multae sunt. *Alia enim illic claritas solis, alia claritas lunae et alia claritas stellarum. Sic autem erit et resurrectio mortuorum.* Talis vero et nunc est absconsio in Deo cum Christo sanctorum.

†) *quum* vel *quando* (?). — ††) l. *Christus.*

In illa absconsione requiei, Domini†) videlicet sepulcri, sudarium, quod fuerat super caput Jesu, humanitas illa singularis Verbo personaliter unita ipsumque obnubens proprium ac singularem obtinet locum, non cum nostri laboris linteaminibus positum aut ponendum. Locus illius sinus patris est; locus ejus lux illa inaccessibilis est; quam ego non aliud ab ipsa divinitatis essentia esse putaverim, ne lux inhabitationis Dei melius quid a Deo esse putari possit, in quo ejus requies sit. In hac luce filius in patre et pater in filio requiescit atque inhabitat. Etenim una amborum divinitas est; in qua uterque socialiter et alter in altero requiescit.
22) Haec lux summum illud caelum est, de quo filii egressio ad nos, et ad quod rursum occursus ejus factus est, quemadmodum scriptum est: *A summo caelo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus.* Habitat autem et in sanctis angelis viventibus et rationabilibus caelis, et ipsi in eo. Sed horum utrumque prodest non ipsi, sed illis. Habitat autem et in nobis atque nobiscum ecclesiae††) ac paradiso††), in sacramentis ecclesiae ac maxime altaris praesens, per fidem quoque in suorum cordibus habitans, singulari vero dignatione in sublimioribus ecclesiae membris manens; qualium unus ait: *An experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Christus?* Quod etiam eis promisit Christus*) dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi!* item: *Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos.* Etenim veniente ad eos spiritu sancto die S. Pentecostes etiam ipsum ad eos venisse spiritaliter et ut est in Deo absconditus, credendum est. Et quidem ipse divinitatis suae praesentia nusquam deest, familiarius autem se suis dilectoribus exhibet, et corporis sui praesentiam in diversis simul locis in qua voluerat ipsum decenti specie accomodans, ipse tamen in sancto suo loco manens, qualiter ipse vult, nobis incognito. Et hoc est, quod omnem humane†††) mentis intelligentiam excedit; sed credere oportet, sic esse. Si enim prophetae cujuspiam visus spiritalis et auditus adhuc in carne manentis a Deo divino spiritu dilatari potuit, ut regis alienigenae verba et consilia secreta, quasi praesentialiter audita, regi suo denunciare potuerit; si pueri sui Giezi fraudem absentis quasi praesens, imo vere, ut ipse fatetur, corde praesens deprehendit; si unus quispiam patrum totum mundum in sphaera brevi

†) *Dominici* vel *requiei Domini, videlicet* etc. (?).
††) duo haec vocabula ex sequentibus sumpta et delenda esse puto.
*) haec vox a ms. aberat. — †††) humanae (?).

collectum uno contuitu inspexit; si Brictium se calumniantem eminus audivit: quanto dignius et efficacius Dominus Jesus motus temporum, angustias locorum, leges elementorum aeternitatis virtute et habitu supergressus cuncta praesentialiter contuetur seque praesentem etiam in corpore suo, ubi et quomodo volet, exhibet, eo quod distensiones spatiorum, solida montium seu murorum, varietates temporum in nihilum, et*) jam ne reputata sint ei! Quid igitur refert, eum ubique esse praesentem an omnia ei esse praesentia, cui spatia quantalibet seu vastitas quaelibet in nihilum (223) etiam ne reputantur, quique absque distantia corporum se corporibus etiam in vero suo corpore inserit et interponit, sicut clauso sepulcro surrexit et clausis januis ad discipulos ingressus est? Sic namque speciei sacramentorum, panis dico et vini, se invisibiliter ipsis inviolatis inserit; sic discipulis intus, cum voluit, apparuit atque disparuit, ut eum ab immortali ac solo invisibili Deo, virtute omnia continendi, gubernandi seque ubi et qualiter voluerit praesentandi in nullo distare arbitremur.

Et haec est, ut aestimo, duplex illa templi non manu facti, quod est Christus, celsitudo, Christum credere non solum in divinis, sed et in humanis paternae majestatis, omnipotentiae simul et gloriae consortem existere. Venit enim in mentem de templi illius manu facti typica celsitudine, quae a Salomone centum viginti cubitorum consummata est. Sed postmodo, templo Babylonico igne conflagrato atque destructo, Cyri regis Persarum concessione LX cubitorum celsitudinis reaedificatum est, pristinae celsitudinis medietate subtracta. Verum postmodo impius rex Herodes, crudelis parvulorum occisor, templum ipsum deposuit atque in primordialem illam CXX cubitorum celsitudinem intra unius anni spatium consummavit. Quae omnia in figuram facta esse, dubitare non possum. Sic enim videmus templum illud singulare, quod est Christus, in magna sublimitate primordialiter a sancto spiritu simul et ab ipsa sapientia conditum, sicut scriptum est: *Quoniam sapientia aedificavit sibi domum!* et in magna gloria per resurrectionem et ascensionem dedicatum, ita ut sublimitas ejus spiritalis quasi CXX cubitorum aestimata sit. In binario enim deceno, id est viginti, utriusque naturae in Christo, divinae scilicet et humanae, perfectionem intellige. In centenario vero unam utriusque potestatem et gloriam agnosce, quia, ut ait Leo in Sermone de Epiph., quod erat

*) *etiam* forte leg.

in Christo in substantiis proprium, non erat in potestate diversum. Quod si de puero in cunis adhuc vagiente dicere convenit, quanto magis nunc una utriusque naturae in Christo caelo praesidente potestas indivisa est omni Christiano credenda, quae nimirum potestatis una et singularis sublimitas unitate centena congruere significata est! Hoc autem et omnes fere sancti patres consentiunt, potestatem et gloriam, quam habebat Verbum Dei ab aeterno per naturam, hanc homini datam esse per gratiam; quae tamen gratia naturam in Christo homine divinae potestatis, quam generatione virginali ex spiritu sancto procreatus accepit, minime excludit, ut, dum homo per gratiam donationis omnipotens est, non etiam per
24) nativitatis naturam omnipotens sit, et e converso. Ita enim plenus est gratia et veritate Dominus Jesus, ut neutra harum plenitudinum alteram excludat.

Verum persecutionis rabies contra hanc sublimitatem et singularem domus hujus gloriam quasi Babylonicus ignis debacchatus est, hanc fidem studens de medio ecclesiae tollere, ne in Christum tanquam in Deum crederetur, magum eum potius quam Deum fuisse concertans. Et invaluit impietatis hujus rabies adeo, ut in errorem inducerentur, si fieri potuisset, etiam electi, multis nimietate persecutionis a fide apostatantibus.

Deinde vero, ut regale culmen Deo agente ad fidem inclinatum est et concessum a regibus, ecclesias dudum clausas reserari, populos in fide coire, ecclesiae conventus celebrari, immisit se contra furor haereticus, id agens et satagens, ne in fide populorum templum hoc, quod est unica spes nostra Christus Jesus, ad primordialem suam celsitudinem consurgeret, asserens per os Arii, Christum etiam in eo, quod Verbum erat in principio apud Deum, non verum veri Dei filium extitisse, sed potius veri Dei creaturam, licet omnibus aliis creaturis meliorem de non extantibus esse. Allexit vero hic furor haereticus sibi etiam corda principum, ut eandem impietatem proscriptionibus sacerdotum simul et persecutionis rabie defenderent. Nam cum per S. Nicenum concilium quasi terra os suum aperiente idem pestiferum dogma, sicut Joanni in Apocalypsi sua praeostensum est, quasi flumen de ore draconis emissum, absorptum atque damnatum fuisset, rursum levitate Constantii Imperatoris eadem pestilentia revixit; Arius suasu cujusdam presbyteri Ariani regiae clientelae adhaerentis de exilio revocatur, et inter cetera impietatis molimina concilium Ariminense contra Nicenum celebratur, in quo vocabulum *homousii* tanquam peregrinum

et alienum a fide condemnatur. Haec autem impietas, parum a gentilium errore dissentiens ecclesiaeque Christi multas et graves persecutiones inferens, ab illo Babylonico igne, templum Dei verum subvertente, parum mihi distare videtur.

At postquam his malis per Domini clementiam finis datus est, surrexit Paulus Samosatenus, Christum in eo, quod Verbum erat in principio, verum Deum ac Dei filium confitens, sed hominem de spiritu sancto B. Virgine conceptum et natum extra verae ac naturalis divinitatis virtutem et honorem constituens. Quo et ipso cum pravitate sui dogmatis damnato successit in locum ejus Nestorius hic†) illius impietati superadjiciens, ut Christum in duos filios seu personas divideret, quorum unus verus Dei filius, non etiam virginis Mariae existeret, alter Virginis filius, non etiam Dei filius secundum honorem filiationis esset.

Surrexerunt vero et aliae pestes: Photinus, Christum hominem (225) solum et non Deum asserens, Eutyches et Dioscurus: omnes sibi fere in hoc consentientes, ne verum Dei templum, quod est Christus, in divinae sublimitatis statum in fide ecclesiae consurgeret, mediam quantitatem in celsitudine divinae potestatis Christo in eo solum, quod Verbum ab aeterno est, concedentes, hominem vero extra Dei veri et naturalis potestatem et honorem statuentes, haud dissimiles in hoc Samaritanis, reaedificationi civitatis et templi Dei obnitentibus, ne vel ad mediae celsitudinis primordialis statum perduceretur. Etenim illi, qui Christum creaturam vel purum hominem asseverabant, etiam mediae celsitudinis restaurationi obnisi sunt; qui vero Christum in Deum et hominem dividebant, mediae celsitudini domus hujus assensi sunt, homini divinitatis potentiam et gloriam detrahentes.

Quorum spiritu quidam etiam nostri temporis haeretici sive scholares et discoli agi videntur, qui Christo in eo quod homo est filiationis Dei honorem detrahunt dicentes, hominem assumptum nec in sapientia nec in potentia nec in ullo bono Deo patri aequari posse, Verbum tantum assumens in gloria patris constituentes; ideoque agunt quasi reges quidam vel reguli, humanae rationis se oculo dirigentes atque secundum doctrinam hominum, secundum elementa mundi divinitatis opera aestimantes. *Sed nemo potest fundamentum aliud ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus;* qui et ipse in utraque natura in caput

†) hoc (?).

anguli factus est. Cujus in utraque natura divinissimae potestati et gloriae tanquam duplici templi celsitudini gentilis blasphemo ore derogat, Judaeus et judaizans haereticus invidet et contradicit, sapientia hujus mundi tumide obloquitur. Sed ex ore infantium et lactentium†) perficitur laus celsitudinis domus hujus, omni lingua parvulorum ecclesiae et humilium spiritu confitente, *quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris.* Insuper: *Etsi tacuerint hi, lapides clamabunt.* Etenim qui Herodem regem impium ad consummandam primordialem templi sui manufacti celsitudinem animavit, ipse etiam nunc corda regum et principum hominumque saecularium, quorum fortitudo in plerisque ut lapidum est, una cum plebe universa in hac fide jam olim confirmavit et usque in finem, usque ad adventum suum confirmabit solidabitque, ut non aliud de Domino nostro Jesu Christo credere et confiteri norint,
26) quam ut sine naturae nostrae exceptione totus in gloria et in celsitudine Dei patris sit; quod est, hoc singulare spei nostrae templum ad primordialem sui celsitudinem pervenisse. In hac enim fide a principio ecclesia per ipsum Dominum Jesum Christum et per apostolos ejus simul et prophetas fundata est. In hac etiam fide in fine ab ipso invenienda est, sicut domus illa manu facta in ea sublimitate et gloria a Domino in carne veniente est inventa, in qua primo a Salomone in mysterio fabricata est. Media vero tempora, quibus, ut dictum est, eadem domus vel per Babylonios destructa jacebat vel mediae celsitudinis statum tenebat, in angustiis temporum aedificata, media ecclesiae tempora mysticabant, quibus fides per tyrannos et haereticos convulsa atque depressa et quasi semiplena in Christi sublimitate claudicans laborabat, sicut hodieque in quorundam cordibus eadem nostra domus vix mediae celsitudinis statum obtinet, in his videlicet, qui hominem a Verbo assumptum, quem pater apud semetipsum glorificavit, infra Dei patris esse gloriam asseverant.

Ad hanc sane duplam, id est utriusque naturae in Christo sublimitatem etiam illud pertinere arbitror, quod eximius propheta Jesaias Domini nostri Jesu Christi exaltationem praevidens aiebat: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et plena erat domus a majestate ejus.* Quod enim est principale solium sedentis nisi unica illa et singularis divina potestas et majestas regnantis Domini nostri Jesu Christi patrique conregnantis?

†) l. *lactantium.*

Quid vero sibi vult illa geminatio seu diversitas vocum dicentis *solium illud excelsum et elevatum,* nisi quia, sicut unum est solium, ita una et unica majestas est sedentis, sed pro duarum differentia in Christo naturarum differenter consideranda? Etenim pro divinitatis natura aeternaliter in patre et cum patre excelsa solium illud excelsum recte dicitur, pro humanitatis vero natura, in qua Christus propter passionem mortis gloria et honore coronatus usque ad paternae majestatis consessum elevatus est, solium illud congrue dicitur elevatum. *Quoniam elevata est,* ait psalmigraphus, *magnificentia tua super caelos.* Unde et nunc plena est omnis terra majestate ejus, quemadmodum item psaltes ille egregius ait: *Exaltare super caelos, Deus, et super omnem terram gloria tua.* Quae autem erant vel sunt sub ipso implentia templum nisi dona spiritus sancti desuper missa, ecclesiam implentia?

Non ego in hac interpretatione aliorum sensui praejudico vel contradico, qui nihilominus sane et catholice solium illud interpretantur unam angelorum et hominum ecclesiam, super qua Dominus exaltatus in ipsa sublimis ac celsus residet. Dicitur enim (227)
hic solium excelsum propter angelos, ab exordio creationis suae status sui celsitudinem conservantes; dicitur vero elevatum propter homines, qui ad angelicam illam sublimitatem per humilitatem Christi, cum cecidissent, elevati sunt. Verum quod ipsi solium excelsum sive elevatum sunt, ex majestate est Christi, in eis sedentis eosque confirmantis et elevantis. Non enim ipsi Christum, sed Christus, in eis ac super eos sedens, ipsos elevat et sustentat; qui etiam ipsis subtractis non caderet, propriae et ingenitae sibi majestatis solio ac soliditate contentus, utpote nec angelorum nec hominum ipse bonis indigus, cui et dicimus: *Deus meus es tu; quoniam bonorum meorum non eges.* Itaque sicut patri ita et filio propria et ingenita majestas et judicandi potestas ipsa ei principale solium est, pro divinitatis natura aeternaliter excelsum, pro nostrae vero naturae in ipso et in ipsum assumptione et glorificatione elevatum. Secundarium vero solium Christi est ipsa, ut diximus, angelorum et hominum ecclesia, propter angelos quidem excelsum, propter homines vero elevatum.

Et ecce magnum quiddam et admirabile caelisque ac caelorum virtutibus spectabile apparet in illa beati filii hominis natura et glorificatione, cui cum patre sunt omnia communia, scilicet et quae in se habet naturaliter et quae sub se condidit potentialiter. Habet

enim in se pater naturaliter Verbum de se natum, sed hoc, eructante illo, habet homo in se in se*) incarnatum.

Habet et pater spiritum sanctum a se procedentem; habet nihilominus homo ille spiritum sanctum semper in se requiescentem. Condidit sub se pater potentialiter caelum et terram et omnia, quae in eis sunt, angelos et archangelos, thronos et dominationes, principatus, potestates, virtutes, Cherubin et Seraphin, drachmamque decimam, id est hominem. Conjunxit vero in se ipso et pacificavit haec omnia verus hic homo Christus, et super haec omnia constitutus est, et omnia subjecta sunt sub pedibus ejus. Sedet super thronum pater ille, antiquus dierum, sedet et agnus hic, filius hominis. Imo vero *pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio!* et sicut alibi**) dicitur: *Potestatem dedit illi et judicium facere, quia filius hominis est.* Etenim hic filius hominis ascendens ad patrem non tam locali motu quam gloriae provectu ad antiquum dierum, sicut in Daniele scriptum est, pervenit et in throno ejus flammeo jam olim receptus est, accurrentibus sibi millium angelorum millibus et decies millies centenis millibus ei assistentibus. Ascendit enim illuc in nostris jam suis, ubi prius erat in suis; quemadmodum ait: *Si videritis filium hominis ascen-*
28) *dentem, ubi erat prius.* In suis enim, quoniam a paterna gloria nunquam destiterat, quo in eis ascenderet, non habebat; sed in nostris ad patrem ascendens, in nostris ei per omnia in potestate et gloria identatus et aequatus est. Omnis enim gloria, ut ait Hilarius, non Verbo acquirebatur, sed carni, non Deo, sed nati hominis dispensationi.

Sed dum haec de gloria homini Christo vel Christo in eo quod est homo data asserimus, non desunt, qui obloquentes dicant, impossibile esse, hanc gloriam homini vel Christo in eo quod est homo dari, maxime cum et ipse pro conscientia humanitatis suae dicat: *Quia pater major me est. Si diligeretis,* inquit, *me, gauderetis utique, quia ad patrem vado: quia pater major me est.* At nos, haec verba superius tractantes, rationem gaudii apostolorum super filii itu ad patrem hanc solam advertimus, ut vadens ad patrem, se majorem, jam non ipse patre minor, sed apud patrem manens ei aequalis sit. At si mea verba velut idiotae vel imperiti contemnunt, audiant Hilarium, ad humilitatis dispensationem et ad tempus minorationis temporalis eadem verba referentem, sed et

---

*) sic ms. respicitur n. ad Verbum. — **) imo *ibidem.*

causam gaudii diligentium apostolorum non aliam quam eam quae a nobis animadversa est advertentem. In libro enim nono de Trinitate super eisdem verbis dominicis inter caetera sic ait: Audis, „ quia pater major me est? Scito eum, de quo ob meritum obedientiae dictum est: *Et donavit ei nomen, quod est super omne nomen*. Audis rursum: *Ego et pater unum sumus;* et: *Qui me videt, videt et patrem;* et: *Ego in patre, et pater in me*. Honorem donatae confessionis intellige, quia Dominus Jesus in gloria est Dei patris. Quando igitur illud est: Pater major me est? Nempe tum, cum *donatur ei nomen, quod est super omne nomen*. At contra, quando est: Ego et pater unum sumus? Nempe cum *omnis lingua confitetur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei patris*. Si igitur donantis†) auctoritate pater major est: nunquid per doni confessionem minor filius est? Major utique donans est, sed minor jam non est, cui unum esse donatur. Si non hoc donatur Jesu, ut confitendus sit in gloria Dei patris, minor patre est. Si autem in ea gloria donatur ei esse, qua pater est, habes et in donantis auctoritate, quia major est, et in donati confessione††), quia (229) unum sunt. Major itaque est pater filio, et plane major, cui†††) tantum donat esse, quantus ipse est, cui innascibilitas††††) imaginem sacramento nativitatis impertiit, quem ex se in forma sua generat quemque rursum de forma servi in formam Dei renovat; quem in gloria sua secundum spiritum Christum Deum natum donat rursum esse in gloria sua secundum carnem Jesum Christum moriturum.†††††) Causam igitur ostendit, cur, si eum diligerent, gauderent, quod ad patrem vadit; quia pater major esset. Gaudium hoc utique ex dilectione docens esse: quia laetaretur dilectio, Jesum esse in Dei patris gloria confitendum *(c. 54 et 55)*.

Verum his Hilarii dictis ab evangelii suffragio pulsi ad Athanasii patris dicta se transferunt, dicentis in fide, quae ab ipso catholice contexta est: Aequalis patri secundum divinitatem, minor patre secundum humanitatem; quod ab ejus ore acceptum catholica ecclesia frequentat. Hoc igitur in argumentum suae assertionis trahunt, quatenus per hoc adstruant, Christum in eo quod homo est vel hominem assumptum a Verbo in gloria Dei patris non esse. Quasi Athanasius hoc dictum de suo acceperit et non potius de fonte hauserit evangelico, ubi dictum est a Domino, quod in

†) ms. bis t. *donantis*. — ††) ms. bis t. *confessione*. — †††) l. *qui*. — ††††) l. *qui innascibilitatis*. — †††††) l. *mortuum;* v. infra p. 246.

praemissis Hilarii verbis tractatum est: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia ad patrem vado: quia pater major me est.* Igitur quod ex evangelio sumptum est, evangelico etiam sensu juxta Hilarii explanationem de tempore corporeae ac dispensatoriae minorationis dictum teneatur: et nulla erit in verbis Athanasii gloriae Christi contradictio, qua nunc eum omnis lingua, etiam in eo quod homo est, in gloria Dei patris esse confitetur. Verum quia ecclesia catholica et hunc sensum recipit, atque in eo sensu, verba Athanasii frequentando, canit, quod hodieque Christus secundum humanitatem patre minor sit, distinguendum est inter humanitatem et humanitatis Christi gloriam, inter naturam nostram in Christo et naturae donum sive privilegium. Etenim humanitas nostra, id est communis nostri generis in Christo natura, qua nos idem Dominus Jesus fratres recognoscere non dedignatur: haec, inquam,
230) humanitas sive humanitatis natura in eo quod ipsa est nunquam divinae naturae aequari potest. Etenim illa creatrix, ista creatura est; illa super omnia, ista una rerum ex omnibus est. Sed neque secundum eam Christus patri aequari potest, quin potius, ut canimus, aequalis patri secundum divinitatem, minor est patre secundum hanc, maxime si *secundum* ad causam referamus et per humanitatis nomen essentiae nostrae formam sive eam quae ex forma est essentiam significes. Haec enim divinitati non aequantur, nec per ea Christus patri aequari potest; sed secundum ea patri, ut dictum est, seque ipso, Verbo, minor est. At huic essentiae per naturalem unionem Verbi et virginalem de spiritu sancto conceptum et partum datum est, esse Dei filium, esse Dei Verbum, habere nomen, quod est super omne nomen, et esse in gloria Dei patris, patri consortem, nulli secundum. Et haec hujus humanitatis, id est essentiae nostrae in Deum assumptae gloria est; hoc essentiae nostrae in Christro singulare privilegium est, secundum quam gloriam, homini datam, non est jam dicere, essentiam illam nostri generis patre esse minorem. Etenim pater totam gloriam, quam habuit, huic homini dedit. Unde, etsi pater donantis auctoritate major est, homo hic in Deum et in gloriam Dei assumptus doniacceptione seu confessione patre minor non est, omni siquidem lingua confitente, *quia Dominus Jesus in gloria est Dei patris.* Aut quomodo in gloria patre minor est, cui unica haec et singularis cum patre gloria est, esse unum solum et verum Deum? Hac enim gloria, quae patri et huic in Deum assumpto homini communis est, nulla major esse potest.

Secundum hanc differentiam naturae nostrae in Christo et naturae donatae et acceptae gloriae testimonia scripturarum de Christo signanter accipienda sunt: et non perturbamur, cum audimus vel legerimus. Secundum naturae enim nostrae in Christo veritatem dictum ab eo est: *Pater major me est!* secundum potestatis vero et gloriae unitatem dictum ab eo est: *Ego et pater unum sumus;* et: *Qui me videt, videt et patrem meum;* et: *Quoniam ego in patre et pater in me est;* et: *Quidquid pater facit, haec et filius similiter facit!* et multa in hunc modum. Item, secundum naturae nostrae veritatem dictum ab eo est, et cum resurrexisset a mortuis, etiam omnem potestatem in caelo et in terra accepisset, dictum, inquam, est Mariae: *Vade autem ad fratres meos et dic eis: Ascendo ad patrem meum et patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.* Quod enim fratres nos appellat, pro naturae (231
nostrae consortio est; pro qua et Deum nostrum Deum etiam suum nominat. Unde Augustinus: Deum, inquit, meum, sub quo et ego homo sum. Et B. Gregorius: Deum, inquit, meum, quia descendi; ac si dicat: quia homo factus sum; Deum vestrum, quia ascendistis et ab errore liberati estis. — Patrem quoque suum nobis etiam patrem dicit; et id quidem in prima verborum facie pro naturae nostrae consortio dictum potest intelligi, ut Hilarius vult, siquidem omnis creaturae Deus pater est. Gregorius autem, quia non communiter dictum sit *patrem nostrum,* sed distincte *meum et vestrum:* Aliter, inquit, illi atque aliter nobis pater est. Pater enim illi per naturam (quod utique privilegii ac doni singularis est), nobis vero pater est per gratiam solium, non etiam per naturam. — Item: Naturae nostrae in Christo est, quod agnus Dei dicitur et est; privilegium vero, quod agnus ipse divinitatem accipere dignus est quodque idem agnus in medio throni est. — Item: Naturae nostrae in ipso est, quod infantiam, quod cunas sustinuit, quod aetate secundum corpus et sapientia secundum animam quoquomodo profecit. Privilegii ac doni naturae in ipso est, quod stella ei de caelo radiavit quodque angeli ei pro fescenninis *gloria in excelsis Deo* cantaverunt quodque ipse Dei virtus et Dei sapientia est. — Item: Naturae nostrae in ipso est, quod corpus suum unctum in sepulturam dicit, naturae vero donum, quod corpore suo uncto in sepulturam sese unctum ad sepeliendum profitetur. — Amplius adhuc: Naturae nostrae in ipso proprie est, quod mortuus et sepultus est, sed naturae item nostrae privilegium et gloria in ipso est, quod morte ejus mors mortua est nosque de ejus potestate

liberati sumus. Quis igitur in Christo non intelligit naturam nostram et naturae donum privilegium et gloriam, cum secundum unum patre minor et sub Deo ipse sit, secundum aliud vero ipse Deus patrique aequalis sit? — Non ergo nunc adstruo illud, de quo nemo dubitat, quod patri in essentia seu natura Verbi filius aequalis sit, sed quod homo per datam sibi et acceptam naturaliter nativitatis natura divinitatem ac divinitatis potestatem et gloriam
32) Deo coaequatus sit, quamvis idem ipse naturae nostrae genere ac proprietate generis sub Deo sit.

Quod vero ait B. Leo papa, eam naturam consedisse in throno, quae jacuerat in sepulcro, non de natura nostra simplici, sed de naturae nostrae subsistente homine Christo intelligendum est, qui unus atque idem ipse et divinae naturae unus cum patre subsistens vel persona est. Sed ait quis: Sicut mortem et sepulturam humanae in Christo naturae propria deputas, ita et consessionem throni divinae naturae proprium debes deputare. — Plane assentior ita esse. Sed, sicut homine crucifixo, mortuo et sepulto Deus gloriae crucifixus, mortuus et sepultus est, eo quod ipse naturaliter per ingenitam sibi ex Virgine humanitatem homo fuerit, ita Verbo Deo patri consedente homo consedit, siquidem et ipse per ingenitam sibi ex Deo divinitatem naturaliter et verus Deus est. Alioquin, si Deus naturaliter homo non esset, homine crucifixo crucifigi non posset; et homo, si naturaliter Deus non esset, Deo considere in Verbo consedente non posset. Da mihi, prophetam aliquem, in quo Verbo Dei solum habitet, crucifigi: nunquid illo crucifixo Deum crucifixum dices aut Verbo patri consedente ipsum considere putabis? Sed personalis naturarum unio, in unum subsistentem naturaliter vel supernaturaliter coëuntium, id efficit, ut unius naturae propria de altera vere ac proprie enunciari possit.†) Itaque et Deus gloriae in propria et ingenita sibi ac substantialiter sua humanitate crucifixus est, et homo in ingenita sibi ac substantialiter sua divinitate patri consedit. Nemo autem Dei vel hominis hujus obedientiam, patri usque ad mortem exhibitam, inhonorationi vel conditionali deputet servituti. Quamvis enim Dei filius formam servi susceperit, non tamen filii dignitatem deposuit; quin potius formae servili filii liberalem dilectionem invexit ac formam servi in filii dignitatem provexit. Sacramentum in his pietatis est, non debitum servilis conditionis; opus dignationis et dilectionis, non

---

†) possint (?).

conditio indignitatis. Novimus, filiorum ad patrem liberalem, non conditionalem esse servitutem; sicut Paulus de quodam discipulo suo et in fide filio gloriatur, quod, tanquam patri filius, ipsi in evangelio Christi deservierit. Neque vero nos ita patri filium vel in suis vel in nostris exaequamus, ut, quia totum, quod est filius, a patre est, non etiam paternae voluntati in omnibus obsequi non debeat. Debitum hoc lex naturae est. Lex ista naturae dilectio est. Dilectio vero libera et liberalis est. Ergo qualis causa servitutis, talis et servitus est. Liberalis ergo tota servitus filii ad patrem, tota dilectionis ac pietatis opus est. Hac pietate, hac (233) pietatis et dilectionis liberalitate ante humanationem quondam ex obedientia et voluntate patris in Sodomam opera eorum cogniturus descendit. Hac obedientia Dominus a Domino pluit. Hac tandem pietate et habitum servi induit et in hujus mundi Sodomam ac in civitatem Hierusalem, quae spiritaliter vocatur Sodoma, descendit; ubi et Sodomitarum spiritalium, Judaeorum scilicet ebriosorum, factionem nimis crudelem in semetipso expertus est, tota sibi nocte illa paschali illudentium. Sed ostium legitimae accusationis et damnationis contra eum invenire non potuerunt.

Quodsi omnis haec obedientia liberalitatis, non necessitatis, pietatis, non conditionis, opus est: quis exstabit, qui subjectionem, qua nunc patri filius in aeternitate subjectus est et in aeternum subjectus erit secundum apostoli dictum: *Tunc et ipse filius subjectus erit ei, qui sibi subjecit omnia!* conditioni servili audeat imputare? Nam si in nobis spiritus adoptionis filiorum, in quo clamamus: *Abba pater!* spiritum servilis timoris excludit: quanto magis filii naturalis dignitas, sicut semper, ita et multo magis in aeternitate, subjectionem conditionalis necessitatis excludit! Sicut enim sole oriente stellae disparent, ita in forma Dei nunc forma servi abscondita est, ut, etsi formam servi in Christo secundum naturam non nescimus, ex privilegio naturae nostrae in Christo conditionem ejus jam nunc quodammodo ignorare debeamus. Qui enim originali debito naturae secundum id quod est homo patri subjectus est, ejusdem naturae privilegio simul et obedientiae merito nunc patri aequalis est. Videmus autem hic quandam apostolicorum doctorum sive etiam evangelii cum apostolicis dictis quasi pugnam, quae negligenter praetereunda non sit. Dicit enim apostolus de Christo, quoniam *consedit in dextera sedis magnitudinis in excelsis, tanto melior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit.* Dicit item Marcus: *Et Dominus quidem*

Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in caelum et sedet a dextris Dei. Quam utique consessionem, nemo†), qui dubitet††) aut dubitare debeat, ad hominis naturam specialius pertinere. In hac enim melior angelis effectus est; nam in divina semper melior angelis fuit. In hac humana videlicet natura in terris conversatus est, in hac obedientia consummata ascendit patrique consedit. Dicit vero item apostolus, quod, postquam omnia subjecta fuerint ei, *tunc et ipse filius subjectus erit ei, qui sibi subjecit omnia.* Opposita autem esse videntur, in eadem humana natura patri sub-
234) jectum esse et consedere, cum considere aequalis sit, subjectum esse minoris.

Et opponunt nobis hi, qui aequalitati gloriae ad patrem in Christo in eo quod est homo contradicunt, de hac subjectione aeterna, juxta Pauli testimonium, Christi ad patrem, dicentes, eum, qui in aeternum subjectus patri est, aequari eidem in gloria non posse. Quasi subjectio illa inhonora et ingloria sit!

Nam si nec ista subjectio, qua patri factus homo usque ad mortem, mortem autem crucis obedivit, inhonora et ingloria fuit: quanto minus aeternam illam subjectionem divinus honor et gloria deserit! Quod autem Christi etiam dispensatoria in terris exhibita obedientia plena honoris et gloriae sit, testatur apostolus, dicens, quoniam *decebat eum, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari.*†††) Quod autem decens ac decorum est, id etiam nemo dubitat esse gloriosum. Unde et apostolus in eadem Christi obedientia et morte gloriosa gloriari non dubitat dicens: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Quis enim sapiens in eo gloriaretur, quod esset inglorium? Quod si stultum Christi sapientia et infirmum virtus et ignominia gloria est: ipsa ejus aeterna gloria quanta, imo quam immensa est quamque indignitatis et injuriosae subjectionis aliena! Enim vero, si humanatio Christi indignitas et ingloria esset, in ipso quoque Verbo, ab aeterno humanari velle, indignum et inglorium fuisset; ipsa quoque Verbi indignitas in ipsum Deum, quod absit! redundaret, qui inglorium et inhonorum filium genuisset.

Itaque humanatio Christi, sive in praesenti vita habita sive in aeternum conservata, sacramentum magnae pietatis est. Pietas

---

†) supple *est.* — ††) ms. t. *dubiet.* — †††) N. T. t. *per passiones consummare.*

vero illa singularis plena gratiae et gloriae est, omnis indignitatis et ingloriae subjectionis penitus absoluta. *Dilectus meus,* ait sponsa in amoris cantico, *candidus et rubicundus;* et multa subsequenter in ejus laudem depromit usque: *totus desiderabilis.* Quia igitur totus desiderabilis, totus etiam gloriosus et laudabilis, siquidem et totus in gloria Dei patris est. Quem ergo assignabunt ei propter formam servi, id est naturam hominis retentatam: quem, inquam, assignabunt locum vel gradum subjectionis, quod officium servitutis patri considenti et conregnanti? Propter hoc magnis patribus visum est, sic interpretari subjectionem illam, de qua dicit apostolus: *Tunc et ipse filius subjectus erit ei, qui sibi subjecit omnia!* ut subjectio confessioni contraria non sit. Unde Hilarius libro XI. super apostoli illo capitulo multa praeclare disserens inter caetera de subjectione illa sic ait: In subjectione inimicorum mors vincitur, (235)
et morte victa immortalitatis vita succedit. Quae autem subjectionis perfecta illa post fidei subjectionem proprietas sit, idem apostolus testatus est, cum ait: *Qui transfigurabit corpus humilitatis nostrae conforme corpori claritatis suae secundum efficaciae suae opera, qua possit subjicere sibi omnia.* Subjectio itaque etiam ea est, quae est ex natura in naturam concessio, dum a se, secundum quod est desinens, ei subjicitur, cujus concedit in formam. Desinit autem, non ut non sit, sed ut proficiat fiatque ex demutatione subditus, in speciem suscepti alicujus†) generis transeundo. Denique ut sacramenti hujus esset ratio absoluta, post novissime devictam mortem, cum††) ait: *Cum autem dixerit, omnia subjecta sunt absque eo, qui subjecit ei omnia, tunc et ipse filius hominis subjectus erit illi, qui ei subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* Primus igitur sacramenti gradus est, subjecta esse ei omnia et tunc ipsum subjectum fieri subjicienti sibi omnia, ut, quemadmodum nos gloriae regnantis corporis sui subdimur, eodem rursum sacramento ipse regnans in gloria corporis subjicienti sibi universa subdatur. Subdimur autem gloriae corporis sui, ut in ea simus corporis claritate, qua regnat in corpore; quia gloriae corporis ejus conformes erimus *(c. 35 et 36).* Et post aliqua: Regnat autem in hoc eodem glorioso jam suo corpore, donec evacuatis magistratibus et morte devicta subjiciat sibi inimicos. Et quidem ab apostolo servatus hic modus est, ut magistratibus et potestatibus evacuatio, inimicis vero subjectio deputaretur. Quibus subjectis

†) alterius (?). — ††) tum (?).

subjicietur subjicienti sibi omnia, Deo scilicet, ut sit Deus omnia in omnibus, naturae assumpti corporis nostri natura paternae divinitatis invecta. Per hoc enim erit omnia in omnibus Deus, quia secundum dispensationem ex Deo et homine hominum Deique mediator habens in se ex dispensatione, quod carnis est, adepturus in omnibus ex subjectione, quod Dei est, ne ex parte Deus sit, sed totus Deus. Non alia itaque subjectionis causa est, quam†) omnia in omnibus Deus sit, nulla ex parte terreni in eo corporis residente natura, ut, ante in se duos continens, nunc Deus tantum sit; non
236) abjecto corpore, sed ex subjectione translato, neque per defectionem abolito, sed ex clarificatione mutato; acquirens sibi Deo potius hominem, quam Deum per hominem amittens; subjectus vero ob id, non ut non sit, sed ut omnia in omnibus Deus sit, habens in sacramento subjectionis esse ac manere, quod est, non habens in defectione, ita se carere, ne non sit. Et quamquam ad intelligentiae hujus religiosam securitatem sufficiat nobis apostolica auctoritas, subjiciendum esse in tempore et per dispensationem Dominum Jesum Christum, primitias dormientium, ut sit Deus omnia in omnibus — per quod non divinitatis infirmitas est, sed assumptionis provectus, dum homo et Deus jam Deus totum est —: tamen, ne forte, quia clarificatum in corpore, dum in eo regnat, et postea subjiciendum, ut Deus omnia in omnibus sit, credimus, non etiam ex evangeliis praesumpsisse existimetur††), fidei nostrae testimonium non solum apostolicorum, sed etiam dominicorum dictorum professione est adstruendum, ut, quod loquente Paulo Christo est locutus, id ante Paulum Christus ipse sit jam locutus. Dispensationem itaque gloriae hujus apostolis suis absoluta verborum significatione demonstrans ait: *Nunc glorificatus est filius hominis, et Deus glorificatus est in eo,*†††) *et Deus glorificavit eum in se: et Deus protinus glorificabit*††††) *eum.* Per hoc enim glorificabit eum Deus in se, quia jam in eo glorificatus sit Deus. Nam quod Deus in eo glorificatus est, ad corporis gloriam spectat, per quam Dei gloria intellecta per corpus est, gloria Dei per gloriam filii hominis intelligenda. Quod vero, quia glorificatus in eo Deus est, ideo glorificavit eum Deus in se; per incrementum glorificati in eo Dei glorificavit eum in se Deus, ut, quia jam regnat in gloria, quae ex Dei gloria est, ipse exinde in Dei gloriam transeat. *In se* enim eum Deus glorificavit, id est in ea natura, qua Deus est, quod est:

†) deesse vid. *ut.* — ††) existimemur (?). — †††) ms. t. bis verba *et Deus glorificatus est in eo.* — ††††) ms. t. *glorificavit.*

ut sit *Deus omnia in omnibus,* toto jam in Deum ex ea qua homo est dispensatione mansuro. — Item in eodem post aliqua: Certissimum militiae nostrae stipendium est incorrupta aeternitas, non ad poenae perseverantiam manens, sed ad perpetuae gloriae (237) fructum jucunditatemque non desinens. Cum igitur haec nostra terrenorum corporum origo in habitum naturae potioris excedat et conformis gloriae Domini†) corporis fiat Deus in forma servi repertus, licet jam glorificatus††) sit secundum quod in forma est servi, tamen conformis Deo non erit; ut, qui nobis formam glorificati corporis sui tribuit, ipse corpori suo nihil ultra possit quam nobis est sibique commune praestare *(c. 40. 41. 42).*

Haec verba Hilarii sunt pia interpretatio naturae subjectionis filii ad patrem exquirentis et assignatis†††), qualiter videlicet Christus in natura nostra patri in aeternitate subjectus futurus sit, ut subjectio ejusdem naturae nostrae confessioni non sit contraria. Etenim de natura in naturam concedere, quomodo si ferrum igni injectum ignis virtutem et formam induat, quod frequens apud nos est: haec, inquam, naturae nostrae in naturam potiorem in Christo confessio et formae in formam profectio, ipsa utique concessio est potius, quam ut ejusmodi subjectio consessioni contraria sit, siquidem ita subjici de subjectione inferioritatis in identitatem atque conformitatem transferri est. Hoc autem et Hilarii verba sonant dicentis: Non abjecto corpore, sed de subjectione translato; neque per defectionem abolito, sed ex clarificatione mutato; acquirens sibi Deo potius hominem, quam Deum per hominem amittens; subjectus vero ob id, non ut non sit, sed ut omnia in omnibus Deus sit, habens in sacramento subjectionis esse ac manere, quod est, non habens in defectione, ita se carere, ne non sit.

Ecce quam caute S. hic pater naturae profectum adstruit, ut simul ejus permanentiam defendat. Quod autem ait *nulla ex parte terreni corporis in eo residente natura:* natura mihi pro qualitate naturae posita videtur. Etenim natura sive essentia permanebit, sed qualitas naturae altera erit; quomodo nunc de ferro ignito et supra de crystallo exemplificavimus. Quod vero ait *totum Deus,* non ita accipiendum, quomodo si dixisset *solum Deus;* hoc enim esset naturae inferioris abolitionem asserere. Dum autem *totum Deus* dicitur, natura utraque conservatur. Neque enim posset homo Deus vere adstrui, si homo esse desisset. Nunc autem vere

---

†) dominici (?). — ††) desint verba *in corpore.* — †††) assignantis (?).

totum dicitur esse Deus. Etenim Verbum natura Deus est, homo autem per assumptionem virginalis ex Deo partus simul et per
8) glorificationis profectum Deus est.

Ambrosius quoque, ad Gratianum Imperatorem scribens, etiam ipse subjectionem hanc interpretari non dubitat, ut consessioni contraria non sit, consessum videlicet capiti nostro, quod est Christus, subjectionem vero membris assignans. Apostolicum, inquit, capitulum recenseamus. *Novissime,* inquit, *inimica mors destruetur. Omnia enim subjecit sub pedibus ejus.* Cum autem dicat: Omnia subjecta sunt ei, sine dubio praeter eum, qui sibi subjecit omnia. Cum autem illi subjecta fuerint omnia, tunc et ipse subjectus erit ei, qui sibi subjecit omnia. Videamus igitur, quia nondum subjectum, sed subjiciendum esse scriptura commemorat. Sicut enim, si in me concupiscat caro adversus spiritum et spiritus adversus carnem, non videor esse subjectus, ita, quia omnis ecclesia unum corpus est Christi, quandiu genus dissentit humanum, Christum dividimus. Nondum ergo subjectus est Christus, cujus non sunt subjecta membra. Cum autem fuerimus non multa membra, sed unus spiritus, tunc et ipse subjectus erit, ut per ipsius subjectionem sit Deus omnia in omnibus. — Item post pauca: Sicut in illo per carnem illam, quae est pignus nostrae salutis, sedere nos in caelestibus apostolus dixit, utique non sedentes, sic et ille per nostrae assumptionem naturae dicitur subjectus in nobis. — Item: Scriptum est: *Cum mortui essemus peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvi facti; et simul suscitavit simulque sedere fecit in caelestibus in Christo Jesu.* Agnosco scriptum, sed non, ut homines sedere ad dexteram sibi patiatur Deus, sed, ut in Christo sedere; quia ipse omnium fundamentum et ipse est caput ecclesiae, in quo communis secundum carnem natura praerogativam sedis caelestis emeruit. In Christo enim Deo caro, in carne autem humana natura generis omnium hominum particeps honoratur. Sicut ergo nos in illo sedemus per corporeae communionem naturae, ita et ille, qui per susceptionem nostrae carnis maledictum pro nobis factus est, cum maledictum utique in benedictum filium Dei non cadat: ita, inquam, et ille per obedientiam omnium erit subjectus
239) in nobis, cum gentilis crediderit, cum Judaeus agnoverit, quem crucifixit; cum Manichaeus adoraverit, quem in carne venisse non credidit; cum Arianus omnipotentem confessus fuerit, quem negavit; cum postremo in omnibus fuerit sapientia Dei, justitia, pax, charitas, resurrectio. Per sua igitur opera Christus et genera diversa

virtutum erit in nobis patri subditus, cum vitiis abdicatis et feriante delicto unus in omnibus Deo coeperit uno sensu populorum omnium spiritus adhaerere: tunc erit Deus omnia in omnibus. Conclusionem igitur totius absolutionis breviter colligamus. Unitas potestatis opinionem injuriosae subjectionis excludit; evacuatio potestatum et victoria de morte quaesita triumphatoris utique non minuit potestatem; subjectionem operatur obedientia; obedientiam Christus assumpsit, obedientiam usque ad crucem: crux ad salutem. Ergo ubi opus, ibi et auctor operis. Cum ergo omnia Christo subjecta fuerint per obedientiam Christi, *ut in nomine ejus omne genu flectatur* — nunc enim, quia non omnes credunt, non videntur omnes esse subjecti —; cum omnes ergo crediderint et Dei fecerint voluntatem: erit omnia et in omnibus Christus. Cum Christus fuerit omnia et in omnibus erit omnia et in omnibus Deus, qua pater manet semper in filio. — Haec est piae subjectionis interpretatio. Item idem: Quodsi quaeris, quemadmodum sit subjectus in nobis, ipse ostendit dicens: *In carcere eram, et venistis ad me; infirmus eram, et visitastis me. Quod enim uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* In eo infirmus, in quo subjectus.

Item Hieronymus ad Amandum presbyterum: Propositio, inquit, fuit de epistola Pauli, ubi de resurrectione disputans venit ad eum locum, ubi scriptum est: *Oportet enim eum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Novissime inimica destruetur mors.* Cum autem dixerit, quomodo omnia subjecta sunt ei, haud dubium, quin praeter eum, qui sibi subjecit omnia. Cum autem ei subjecta fuerint omnia, tunc et ipse filius ei subjicietur, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Et miror, te a me hoc (240)
quaerere voluisse, cum S. Hilarius, Pictaviensis episcopus, XI. librum contra Arianos hac quaestione et solutione repleverit. Tamen saltem pauca dicamus. Omne in hoc scandalum est, cur filius patri dicatur esse subjectus. Quid est turpius vel inferius, patri subjici — quod saepe pietatis est; et in Psalmo scriptum est: *Nonne Deo subjecta erit anima mea?* —, an crucifigi et maledictum crucis fieri? *Maledictus enim omnis, qui pendet in ligno.* Qui ergo maledictum pro nobis factus est, ut nos de maledicto liberaret, miraris, si pro nobis subjectus sit, ut nos patri faciat subjectos, dicens in evangelio: *Nemo venit ad patrem nisi per me;* et: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.* Christus in his, qui fideles sunt, subjectus est patri, quoniam omnes

credentes, imo omnium hominum genus corporis ipsius membra reputantur. In his autem, qui increduli sunt, id est Judaeis et ethnicis et haereticis insubjectus dicitur, quoniam pars membrorum ejus non est subjecta fidei. In fine autem mundi, cum omnia membra viderint regnantem Christum, id est corpus suum, etiam ipsa subjicientur Christo, id est corpori suo, ut omne Christi corpus subjiciatur Deo et patri, *ut sit Deus omnia in omnibus;* quod proprium nomen est trinitatis et tam ad patrem quam ad filium et spiritum referri potest, ut humanitas subjiciatur divinitati. Humanitatem in hoc loco dicimus non mansuetudinem et clementiam, quam φιλανθρωπίαν vocant, sed omne hominum genus. Porro, quod ait: *ut sit Deus omnia in omnibus!* hoc sensu accipiendum est: Dominus atque salvator noster nunc omnia non est in omnibus, sed pars in singulis, v. g. in Salomone sapientia, in David bonitas, in Job patientia, in Daniele cognitio futurorum, in Petro fides, in Phinees et Paulo zelus, in Joanne virginitas, in caeteris caetera. Cum autem omnium rerum finis advenerit, tunc omnia in omnibus erit, ut sanctorum singuli omnes virtutes habeant, et sit Christus totus in cunctis.

Haec verba Hieronymi partim de capite nostro Christo so-
(241) nant, pietatis subjectione patri subjecto, qua et subjectionis obedientia crucifixus et maledictum factus est — unde et ait: Quid est turpius vel inferius, patri subjici, quod saepe pietatis est? — partim vero de subjectione corporis, ab eo loco, ubi ait: Christus in his, qui fideles sunt, subjectus est patri. De qua etiam subjectione verba Ambrosii praemissa sunt. Neutra vero harum subjectionum, videlicet nec ea quae pietatis est, in capite, qua saepe etiam aequales aequalibus obediunt et subjiciuntur, nec ea quae corporis est, quod est ecclesia, consessioni filii cum patre in eo quod homo est invenitur contraria. Id enim cautum est a jam dictis patribus, ne glorificatam et considentem patri in filio nostri generis naturam subjectionis jam dictae interpretatione quasi injuriosa rursum ei, cui consedit, subjicerent.

B. vero Augustino hanc subjectionem ad naturae nostrae in Christo proprietatem interpretari visum est, secundum quam utique naturae nostrae proprietatem et patre in aeternum minor ac proinde subjectus futurus sit. Cujus verba libro I. de Trinitate sunt haec: Contemplabimur, inquit, patrem et filium et spiritum sanctum, cum mediator Dei et hominum homo Christus Jesus tradiderit regnum Deo et patri, ut jam non interpellet pro nobis mediator et sacerdos

noster filius Dei et hominis; sed ipse, in quantum sacerdos est, assumpta propter nos†) forma subjectus sit ei, qui illi subjecit omnia et cui subjecit omnia, ut, in quantum Deus est, cum illo nos subjectos habeat, in quantum sacerdos, nobiscum illi subjectus *(c. X. 20)*. Item*) Augustinus in libro contra Maximinum: *Tunc et ipse filius subjectus erit ei, qui illi subjecit omnia.* Nam de spiritu sancto, qui nullam suscepit creaturam ad unitatem personae suae, quamvis se per subjectam creaturam visibiliter et ipse sive per columbae speciem sive per linguas igneas sit demonstrare dignatus, nunquam dictus est spiritus sanctus adorasse patrem, nunquam minor dictus est patre. Ad horam quippe apparuerunt illa. Christus autem, qui humanam non ad horam sumpsit effigiem, in qua hominibus appareret ac deinde species illa praeteriret, sed in unitatem personae suae, manente invisibili Dei forma, (242)
accepit visibilis hominis formam, et non solum natus est in ea de homine matre, verum et crevit in ea, et manducavit et bibit et dormivit in ea, et occisus est in ea, et resurrexit in ea, et ascendit in caelum et sedet ad dexteram patris in ea, et ad judicandos vivos††) et mortuos venturus est in ea, et in regno suo ei, qui illi subjecit omnia, erit subjectus in ea *(c. XIX)*. Idem super hunc locum evangelii: *Vade, dic fratribus meis: Ascendo ad patrem meum etc.* Non ait: Ad patrem nostrum. Aliter ergo meum, aliter vestrum; natura meum, gratia vestrum: Deum meum et Deum vestrum. Neque hic dixit: Dominum nostrum. Ergo et hic aliter meum et aliter vestrum: Deum meum, sub quo et ego homo sum; Deum vestrum, inter quos et ipsum mediator sum.

Ecce hic quantum venerabilis pater in subjectionis illius interpretatione a patribus, quorum dicta praemisimus, Hilario, Ambrosio, Hieronymo discrepat. Hilarius enim, ut in verbis palam est, subjectionem illam dicit de natura in naturam concessionem; Ambrosius vero et Hieronymus ad eam quae in membris futura in aeternum est subjectionem se transferunt**), simul et eam quae pietatis est subjectionem in ipso capite Hieronymus dat intelligi, ad hoc videlicet pias subjectionis interpretationes jam dictas exquirentes, ne hominem, qui assumptus in gloria in dextera consedit sedis magnitudinis in excelsis, id est in aequalitate patris, rursum patri subjectum iri dicerent. Magni enim patres ecclesiae adstruunt, eam

†) *servi* desit. — ††) ms. bis t. *vivos*.

*) *Idem* forte legend. — **) sic quidem ms.; forte leg. *se referunt*.

naturam consedisse in throno, qua†) jacuerat in sepulcro; et ipse Augustinus asserit, qua incorruptibilis pulvis consederit ad dexteram patris; quod est, Christum in nostrae naturae essentia patri consedisse. In suis enim semper cum patre fuit; in nostris jam suis, jam filii Dei propriis, in quibus . . . . . ††) ipse super terram *visus est et cum hominibus conversatus est:* in his, inquam, jam suis — *Verbum enim caro factum est, et habitavit in nobis!* et Verbum Dei Deus non tantum in homine illo fuit, sed etiam ipse homo fuit —: in his ergo nostris jam suis ipse ad patrem ascendit patrique in aequalitate consedit. Consessio enim aequalitatem expostulat. At vero B. Augustinus, ut in praemissis verbis ejus patet, in ea natura, quam de nobis assumpsit et in qua passus et mortuus est, et in qua resurrexit et ascendit ad patrem: in ea, inquam, ipsum etiam in regno patri, qui sibi subjecit omnia, subjectum futurum confitetur. Quam ipsam naturam patri consedisse in throno, consona patrum aliquorum testimonia asseverant; et ecclesia Christi in ea fide jam olim adulta est, ei videlicet naturae honoris consessum esse delatum atque in ipsa Christum ad dexteram patris consedisse, in qua contumelias ignominiosae mortis sustinuit. Sed et ipse pater Augustinus alias de verbis apostoli homini, non Verbo, nomen quod est super omne nomen datum propter obedientiam consummatam profitetur, eo quod Verbum nomen illud ex aeterno habuerit. Quomodo igitur nec a semet ipso et ab aliis patribus dissentire videtur, in ea natura dicens Christum subjectum futurum, in qua eum et ipse et alii patres accepisse nomen quod est super omne nomen, in qua omnis lingua Dominum Jesum in gloria Dei patris esse confitetur? Etenim Jesus proprium hominis Christi nomen est. Quam ergo subjectionis interpretationem ex jam dictis acceptabimus aut quam eorum minus accipiendam dicemus? Magni enim omnes hi patres sunt; et nulla harum subjectionis interpretationum vel ab aliquo ipsorum retractata vel ab ecclesia improbata est.

Melius ergo est, in jam dictis patrum interpretationibus eas intelligentias quaerere ac tenere, ut nullius eorum interpretatio reproba inveniatur, siquidem et B. Augustini interpretatio, sicut aliorum jam dictorum patrum, evangelico testimonio fulta sit, maxime Domino post resurrectionem patrem adhuc etiam Deum

---

†) quae (?). — ††) ms. t. *visis* aut *visus;* hoc vocab. abundare et ex sequentibus sumptum videtur esse.

suum dicente. *Ascendo,* inquit, *ad patrem meum et patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.* Unde Augustinus: Deum, inquit, meum, sub quo et ego homo sum. Qui enim post datam sibi omnem in caelo et in terra potestatem adhuc Deum super se recognoscit, sub quo et ipse nobiscum homo sit: quomodo non et in aeternum sub Deo homo erit, nisi quia fides catholica non recipit, quod sic in Deum transeat, ut homo esse desinat? Et intelligentia opus est, qualiter aut secundum quid nostra natura in Christo aut Christus in ea patri consedeat, idemque qualiter et secundum quid dici conveniat, patri subjicienti sibi omnia eandem naturam vel Christum in eadem natura in regno futurum esse subjectum, ne vel consessionis aequalitas subjectioni aut subjectio consessionis aequalitati praejudicet et interpretatio subjectionis secundum apostoli verba utrorumque patrum locum habeat, et eorum videlicet, qui vitantes, Christum etiam in nostra natura post judicium patri inferioritate conditionis subjectum dicere, alias pias subjectionis interpretationes adducunt, et patris nostri Augustini sive et aliorum, qui Christum in eadem nostrae essentiae natura patri in (244)
aeternum ordine ac lege conditionis subjectum futurum dicere non verentur.

Igitur necesse est, ut humanae naturae nomen in Christo aliter apud hos atque aliter apud illos accipiatur. Etenim dum natura nostra secundum suae originis propriam conditionem attenditur in Christo, eadem natura vel Christus in ea et secundum eam patri subjectus et in aeternum lege conditionis subjectus futurus non incongrue dicitur. Secundum hanc enim conditionem etiam se ipso, Deo, minor est. Et hac significatione formam humanitatis B. Augustinum accepisse, non dubium est, ubi ait de Christo: Accepit visibilis hominis formam etc., ut praemissum est, usque: et in regno suo ei, qui illi subjecit omnia, erit subjectus in ea! videlicet naturae conditionem, non etiam ejus praerogativam gratiae et gloriae datae et acceptae a patre considerans. At vero patres illi, quorum dicta praemisimus, Hilarius, Ambrosius et Hieronymus, qui Christum in eo etiam quod homo est lege conditionis patri subjicienti sibi omnia subjectum futurum dicere fugiunt sicque de interpretatione subjectionis illius in regno vel ad membra transfert†) vel subjectionem illam subjectionem pietatis aut etiam de natura in naturam concessionem dicunt: hi, inquam, patres,

†) transferunt (?).

naturae nostrae in Christo praerogativam datae et acceptae potestatis et gloriae attenderunt, quam et ipse Augustinus attendit, ubi nomen quod est super omne nomen non Deo, sed homini datum asserit, et ubi pulverem sedere ad dexteram patris affirmat. Alioquin, nisi ita senserimus, patres jam dictos inter se non solum diversos, sed etiam adversos alterutrum faciemus; et erit pugna non solum verborum, sed et sensuum inter eos. Etenim natura generis nostri in Christo quamvis in Deum nata et divinitatis sibi innatae honore glorificata sit, non etiam adhuc natura generis nostri non est. Igitur homo noster in Christo, dum nostri generis natura est, genere naturae sub Deo est; dum vero et Deus est et patri considet in throno, divinitatis et consessionis honore considenti sibi aequalis est. Quis autem tam stultus, qui Christum genere naturae nostrae patri dicat considere aequalem aut rursum divinitatis et consessionis honore minorem? Unde et nos, dum una cum ecclesia canimus: Aequalis patri secundum divinitatem, minor patre secundum humanitatem! minoritatem naturae nostrae conditioni, non etiam divinitatis acceptae aut consessionis donatae honori adscribimus, sicut e diverso in eodem contextu verborum Athanasii divinitatis nomen naturae Verbi assignamus, sed quae hominis illius propria forma facta sit, sicut humanitas quoque per virginalis partus ex Deo naturam Verbo propria forma facta est, non
245) quod Verbum ex ea sit, sed quod Verbum ea caro et homo sit. E diverso autem, cum dici audimus, eam naturam consedisse in throno, quae jacuerat in sepulcro, et quia incorruptibilis pulvis consedit ad dexteram patris, naturam nostram in Christo non secundum originis suae conditionem, sed secundum provectus magnitudinem dici intelligo.

Et sic patrum dicta inter se concordata erunt, ut, etsi diversa inter se, non tamen invicem adversa sint. Sed et evangelica et apostolica dicta eadem distinctione aliter atque aliter intellectae naturae inter se conciliantur, ne consessus aequalitatis subjectioni aeternae aut aeterna illa subjectio consessionis aequalitati praejudicet, dum unus atque idem Dominus noster Jesus Christus vel pietatis obedientia vel naturae nostrae genere seu conditione patri in aeternum subjectus est idemque secundum ejus naturae in sese Deum atque in honorem naturae assumentis provectum patri considet aequalis. In uno vero illo secundum Hilarium subjectionis nomine et significatione, quod est de natura in naturam concessio, et subjectio illa *(et?)* sublimis consessus aequalitatis pariter significata

sunt. Neque enim posset de natura in naturam, id est in naturae virtutem concedere non aequalis — sic enim de natura in naturam concessionem intelligimus, ut non naturae unius abolitio, sed in alterius naturae virtutem et gloriam concessio sit —, neque de natura in naturam ita concedens potiori naturae, quae sua sunt, in inferiorem ac per inferiorem naturam potenter operanti et in sua jura eam assumenti in eadem inferiore natura subjectus non esse, cum ipsa talis concessio quaedam subjectio sit; quemadmodum ignitum ferrum igni subjectum recte dicitur, cum agente in se igne in omnem ejus fuerit urendi virtutem †) translatum. Haec autem inferior natura etiam hominis nomine interdum significatur in Christo, cum tamen homo, nomen personae magis proprie sit. Tale enim est illud apud Augustinum verba Domini exponentis ††): *Deum meum et Deum vestrum:* Deum, inquit, meum, sub quo et ego homo sum; quomodo si dixisset: Sub quo et ego homo, id est humanae essentiae factura sum et vestri generis essentia sum. — Non autem conveniret dicere †††) Augustino de Christo vel ipsi Christo de se: Deum meum, sub quo ego deus deorum, rex regum et dominus dominantium sum; vel: Deum meum, sub quo in throno consedi et sub quo in medio throni sum. Etenim quamvis et haec agni propria et naturae nostrae praerogativam caelestis sedis promeruit, non tamen convenit dicere, in his agnum vel Christum patri subjectum esse; quin potius in omni hac naturae nostrae (246) praerogativa patri aequalis in gloria, consors in potentia, consocius in majestate est, quam ut Deum sub Deo, regem sub rege, dominum sub domino, Christum vel in suis vel in nostris dici conveniat. Etenim inaequalitatem gloriae significarent. Nunc vero in his omnibus, in hac singulari gloriae praerogativa, quam communis nostra natura in Christo emeruit, non patre minor, sed patri aequalis est. At hoc in signum est, cui a scholasticis discolis nostro tempore contradicitur, cui et noster ille Folmarus amaricando obloquitur. Sed nostrum contra contentiosos verbis contendere non est. Ad nihilum enim utile est, nisi ad subversionem audientium.

Verum hunc Apologeticum in defensionem fidei nostrae, quam communem cum universa ecclesia Dei habemus et habere cupimus, in silentio meo et quiete spiritus mei contexui; in quo et adversae

†) ms. t. *virtute.* — ††) l. *apud Augustinum verba Domini exponentem,* vel *Augustini verba Domini exponentis* (vel *illud Augustini verba Domini exponens).* — †††) ms. bis t. *dicere.*

partis sugillatio praetermissa non est. Quae igitur in eo sane et competenter dicta sunt, Deo largitori cum gratiarum actione consigno. Si quae vero minus caute dicta videbuntur in his, quae vel de nativitate hominis ex Deo vel de glorificatione hominis in Deum disputata sunt, monstratae rationi vel auctoritati cedere paratus ero. Scire vero interim quoslibet, nostra haec legere dignantes, cupio, non ita nos glorificatae naturae nostrae in Christo gloriam cum patris eam glorificantis gloria conferre, ut patrem donantis auctoritate nesciamus esse majorem. Etenim, ut testatur Hilarius libro nono, pater donantis auctoritate major est; sed, ut item ipse fatetur, filius per doni confessionem minor non est, omni siquidem lingua confitente, *quia Dominus Jesus in gloria est Dei patris (c. 54).* Unde ipse in libro nono: Major utique, ait, donans est, sed minor jam donatus non est, cui unum esse donatur. Si non donatur Jesu, ut confitendus sit in gloria Dei patris, minor patre est. Si autem in ea gloria donatur ei esse, qua pater est, habes et in donantis auctoritate, quia major est, et in donati confessione, quia unum sunt *(c. 54).* Item ipse subsequenter: Major itaque pater est filio, et plane major, cui tantum donat esse, quantus est ipse. Qui innascibilitatis†) esse (?) imaginem sacramento nativitatis impertit, quem ex se in forma sua generat quemque rursum de forma servi in forma Dei renovat: quem in gloria sua secundum spiritum Christum Deum natum donat rursum esse in gloria sua secundum carnem suam (?) Jesum Christum Deum
7) natum mortuum *(c. 54).* Item post aliqua: Glorificaturus filium pater major est; glorificatus in patre filius minor non est. Aut quomodo minor, qui in gloria Dei patris est? Major utique pater est, sed filius, dum filius est, minor non est. Nativitas filii patrem constituit majorem: minorem vero filium esse nativitatis natura non patitur. Major pater est, dum gloriam assumpto homini rogatur, ut reddat: filius minor non est, dum gloriam resumit apud patrem *(c. 56).* — Et haec quidem etiam superius ex dictis Hilarii huic operi nostro intexta sunt, sed ut tenacius haereant, eadem in calce opusculum*) iterare non piguit. Nos sive Hilarii sive Augustini sive et aliorum patrum dicta et sensa non ideo recipimus et in auctoritatem ducimus, quia ab eis ita dictum et sensum est, sed quia canonicae scripturae auctoritate vel ratione subnixa sunt simul et Romanae ecclesiae auctoritate roborata. Sancta vero

---

†) v. supra p. 229. — *) *opusculi* forte.

quatuor concilia: Nicenum, Constantopolitanum†), Ephesinum, Chalcedonense simul et alia, in quibus pro fide contra haereses actum est, ipsorumque conciliorum de fide habitas diffinitiones usque ad unum jota inconvulse recipimus, eo quod et ipsa evangelicis fundamentis innixa sunt ipsaeque diffinitiones eorum unanimi consensu patrum secundum scripturas in spiritu sancto roboratae. Caeterum vero eorundem conciliorum de disciplinis instituta, sicut et aliorum conciliorum nonnullae disciplinales constitutiones dispensationem mihi videntur admittere, eo quod quaedam etiam Niceni concilii de hujusmodi instituta, poscente utilitate, a subsequentibus patribus dispensata invenio, ut est illud, quod de Neophytis, id est noviter baptizatis, in sacros ordines non promovendis in jam dicto Niceno concilio statutum est. Quod in S. Ambrosio satis utiliter est dispensatum. Nam quae de fide in eisdem conciliis diffinita sunt, aeterna stabilitate subsistunt, nullius unquam personae dispensationem vel retractionem admittentia.

Ut autem notior fiat persona, quae mihi hujus apologesis, importunitate sua, occasionem seu necessitatem praebuit, literas ejus de corporis et sanguinis dominici sacramento, pravo sensu detestabiles, et qualiter eaedem literae a viris catholicis et illustribus confutatae sunt††), qualiterque literarum ipsarum confutatio ac detestatio ad ipsius personae in hac praesertim parte profecerit emendationem, subnectere visum est.

---

†) sic t. ms. — ††) recte l. *sint.*

Index

locorum scripturarum sanctarum, quorum in hoc libro mentio facta est.†)

†) Paginae numeris codicis in margine positis notatae sunt.

EMENDANDA.

p. III. v. 17. l. *tribuenda* pro *tribuenta*.
p. 6. not. l. *mavis* pro *navis*.
p. 7. v. 33. l. *suavitas* pro *suavitate*.
p. 73. v. 21. l. *persuasibilibus* pro *persuabilibus*.
p. 193. v. 6. l. *nostrae* pró *nostra*.